

B. M. II 298.
h. 5811.

(X1876254)

7L
7
II R
1028

HENRICI COCCEJI
JURISCONSULTI
ORATIO
DE
LEGE
SALICA,
HABITA
HEIDELBERGÆ
QUUM
ORDINARIAM FACULTATIS JU-
RIDICÆ ET JURIS GENTIUM PROFES-
SIONEM SOLENNITER AUSPI-
CARETUR.

HEIDELBERGÆ.

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(814LE)





mo
ver

tuto
gnia
cion
ger

la a
fine
con
fam
go,
qu
qua
stra
con
tate
por
qu
ren

dit,





SI quæ sunt, quæ plane plurima sunt, quorum vel gloria animus duci, vel voluptate affici queat, eorum mihi cumulum & segetem uberrimam hodiernus dies contulit: quo hujus auctoritatem loci contingere, & ex hac cathedra ad Augustissimos Serenissimosq; Principes, lectissimumque Auditorium verba facere, Principali mihi beneficio obtigit. Exordium.

Fuit, Tullio teste, apud Veteres in more positum institutoque Majorum, ut ii, qui beneficio P. R. imagines i. insignia familiae suæ consecuti essent, eam primam haberent concionem, qua gratiam beneficii cum suorum laude conjungerent.

Ego vero, SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, cui nulla antiquior quam intra auspiciatissimos Palatini splendoris fines militandi gloria, cujus potius laudibus beneficii à Te concessi gratiam conjungerem, quam Tuis concedentis, & familiae Tuæ Augustissimæ? Verum enimvero, non jam id ago, ut oratione, quicquid Palatinatum est laudum, expleam, quod nec consequi spes est, nec recipere animus; non magis quam computare continuam successionis seriem aut perustrare archiva Principum; (ea enim nec tempori, nec loco convenit oratio) sed originem illustris dignitatis ab antiquitate sua derivare, & vetustatis memoriam cum nostra componere. Est enim illud Palatinæ dignitatis ferè proprium, quod origine saltem cognita nihil ei ad summum splendorem & consummatissimam gloriam amplius deesse videatur.

In aliis dignitatibus & rebus gestis plerumque hoc accidit, ut non nisi phaleratis verborum ampullit, & prolixis en-

comiorum accessionibus valde fiant illustres. Verum Augustorum Majorum Tuorum SEREN. PRINC. omnia adeo fuisse prælustria, tantaque cum celebritate conjuncta, sive eminentissimæ spectemus dignitatis splendorem, sive rerum gerendarum auctoritatem & gestarum amplitudinem & gloriam, ut, si nihil dicatur, quam ab horum magnitudine orram enatamque esse stirpem Palatinam, omnia dicta videantur, quæ absolutissimæ laudis numeros omnes implere possint: si quid est enim ad splendorem illustre, ad amplitudinem magnificum, ad venerationem admirabile, id omne huic dignitati vel ab ipsa origine debetur, multoque plus ei ex sola relatione, quam aliis ex ambitiosissima deprædicatione laudis accedat, obviumque evadat, quantum sit habitura splendoris, si undique præconiorum & laudum argumenta colligantur, cum vel origo eius recensita tanta luce refulgeat.

Propositio.

Huic vero immenso, quod mihi apertum video, æquorari, nunc me non committam, nec in campum hunc excurram, cujus emetiendi spem omnem cum temporis præfixi angustia, tum rerum amplitudo excludit. Sed de JURE SALICO seu Palatino ita verba faciam, ut ostendam, illud auctoritate Palatii Francici ejusque Comitatus constitutum; atque esse id ipsum jus Franconicum, cujus finibus in Germania circumscripta est vicaria Imperii potestas, (a) indeque conficiam, totum id jus Vicariatus hujus Palatii Comitatus conjunctum innexumque esse.

Tractationis pars I. Jus Salicum seu Palatinum esse jus illud Franconi-

Atque ut à denominatione ejus legis, unde omnis hic fermo ducitur, ordiatur oratio, communis illa est & legi & terræ: Nam & *lex Salica* dicitur, & *terra Salica*; & ea quidem terra, de qua lex ipsa disponit, (b) cujus causas ordine per-
textemus.

Salici itaque appellatio unde tracta sit, variè putatur. Quidam

(a) A. Bull. tit. 5. (b) lib. Leg. Sal. tit. de Alode 62. §. fin.

DE LEGE SALICA.

Quidam (c) à *Salagasto*, præcipuo legis autore, id deducunt: cum quo etli enim à *Salagasto* non videatur factum esse *Salicum*, id tamen inde est, quia antiqua Francorum lingua nomina plurima hac plerumque appendicula vocis *gast* terminabantur, perii comuti & in cæterorum compilatorum nominibus accidit; quæ erant, *Wesogast*, *Wyndegast*, *Basogast*: Item in nominibus *Arbogast*, *Hildegast*, aliisque quam plurimis; quæ particula non ad substantiam ipsam nominis, sed ad ejus terminationem pertinebat, in denominationibus autem inde factis non attendebatur: In *Wyndegastus* vicum notissimum in Franconia extractum à nomine suo *Wyndesheim* appellavit, nulla ultimæ terminationis ratione habita (d) Quin & sæpe superaddita est alia adhuc terminatio, & iidem autores alibi dicuntur *Wesogasthald*, *Basogasthald*, *Salogasthald*, ut appareat terminationes illas pro arbitrio apponi omittive solere. Quin & in Belgio, Francorum sede, simile quid observatur in nominibus *JANSON*, *WILLIAMSON* &c. quæ *JOANNIS FILIUM*, *WILHELMI FILIUM* notant; & si levia hæc conjecturam mereantur, vel cognationis ac familiaritatis, vel humanitatis, vel etiam soni gratia talia adjecta videntur, (e) Atque ita à *Salagasto* primario legis autore, rejecta terminante syllaba, tanquam purià, legem *Salicam*, & fluvium quendam in finibus *Dotingiæ Salam*, & hinc porro terram, quam alluit, *Salicam* dictam existimant.

Salicum unde dictum.

Isthuc vero ita est, quasi Athenæ ipsæ nescirent Græcè. Idem quod *Palatinum*. Quid enim? Notissimæ vocis Germanicæ in media Germania sensum potestatemque quæri. Quis nescit, *Salam* nobis idem esse, quod Latinis *Palatium*, & verbo in morem Romanum flexo, *Salicum* idem quod *Palatinum*? Adeo enim ipsi etiam Germani utraque voce promiscuè utuntur, ut frequen-

A 3

(c) Otto Frising. lib. 4. c. 32. Trithem. Annal. p. 35. & 83. Vid. Præfat. Leg. Sal. (d) Idem d. pag. 35. (e) Andreas Althamerus ad Tacitum O. Frising. Alciat. Trithem. & alii.

quentius quoque Romana, quæ, mutato quasi foro tota prope in Teutonici sermonis indolem ac consuetudinem transiit: Quippe quod alio verbo *Saal/ Sala*, idem crebrius *Palast* vel *Palatz/ Palatium* dicitur; & id ipsum *Palatz* familiarissimo Nostris loquendi compendio in *Palz* contrahitur, hoc vero ex superioris Germaniæ ingenio adspiratum in *Pfalz* mollescit. Quæ vocabula *Pfalz* vel *Saal/* nihil aliud quam Curiam, id est, domum, in qua conventus publici haberi solent, significant, atque ex hac sua proprietate ad denotandum conventum ipsum creberrimo usu transferitur, sic in urbibus quamplurimis per totum Rheni tractum ejusmodi ædificia publica, in quibus olim curiæ ac conventus publici, seu Comitia habita sunt, *Pfalz* vel *Sala* dicuntur, & Argentorati, Wormatiæ, Spiræ, Treviris, Francofurti, Loboduni, Ingelhemii, Aquisgrani & aliis plurimis in locis, hoc nomine pristini usus memoriam vetustatemque custodiunt.

Quo luculenter intelligitur, leges SALICAS nominari quasi PALATINAS, ex eo, quod in SALA seu PALATIO ac Curia, in quam Procerum Senatus convenire & Comitia regni habere solebat, latæ fuerint: Nam & antiquissimus ille annalium Germaniæ Scriptor, Lampertus Aschafneburgensis, (f) *Palatinas leges* nominatim appellat, eaque voce non alias ac Salicas leges haut dubie indigitat.

Jus Salicum seu Palatinum esse jus Francanicum. Atque ut id, quod leviter saltem hucusque adumbratum est, planissime deinceps appareat, constat equidem unanimi veterum annalium conspiratione, Francorum has leges fuisse, Franciæ Senatum seu Proceres ea edidisse: Nam & Eginhardus (g) id testatur, & Autor præfationis in has leges (h) docet; *Gentem Francorum inclytam dictasse legem Salicam per Procere illius Gentis, qui tunc temporis iisdem aderant Rectores.*

Et alter

(f) in Histor. German. p. 225. & pag. 246. (g) in Vita Car. Magni.

(h) Vid. Præfat. Leg. Salic.

Et alter Prologus (i) testatur, *placuisse id inter Francos eorumque Proceres, leges eas fieri.* Quam in rem Sigebertus Gemblacensis (k) quoque ait, *Francos anno Christi 422. uti cœpisse legibus, & legem Salicam dictasse per 4. Gentis sua Proceres,* quorum nomina eadem, quæ geminus legis Salicæ Prologus recenset. Quin & ipsa lex Salica (l) ad Francos passim refertur, eorumque securitati consulit.

Ut adeo leges Salicæ seu Palatinæ quædam quasi SCta Factum auctoritate Palatii Francici. sint, auctoritate Salæ seu Curia Procerum Franciæ condita, etli Regia auctoritas accesserit, uti Romæ sub Imperatorum quoque Principatu Senatus jura constituit, quæ eadem alibi (m) Senatus Consulta, alibi (n) leges, quod Principis quoque auctoritas intervenisset, vocitantur.

Fuisse vero semper apud Francos Germanos talem Procerum Salam seu Curiam cum maxima potestate, adeo ut sine ejus auctoritate nec publica regni negotia tractari aut definiri, nec leges aut jura constitui potuerint, nemo Auctorum est, qui ambigat. Ita enim Gunterus canit: Hujus Palatii seu Curia auctoritas.

*Francorum Proceres, quos inclyta robora gentis
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas.
In manibus vestris Regnum est. Ea quippe potestas
Ad vos more suo semper viduata recurrit.*

Idem indubiis annalium monumentis liquet. Hi enim Proceres Franciæ lectis ex corpore suo quatuor viris legis Salicæ componendæ curam potestatemque conventu habito commiserunt [p]. Hujus Palatii Francici ejusque Procerum auctoritate factum legitur, quod remoto Chilperico Francorum Rege, Sigebertus in locum ejus successit (q): quod Dagoberto, ut filius ipsius Sigebertus rex eligeretur, concessum

(i) Proleg. Leg. Sal. (k) in Chron. sub An. Chr. 422. (l) Tit. 15. §. 2. & 3. Tit. 24. §. 3. & 4. Tit. 40. §. 2. Tit. 43. §. 1. & 5. (m) l. 23. §. 1. ff. de condict. indeb. (n) l. 8. in princ. ff. de Transact. (o) in ligur. lib. 1. (p) Præf. L. Sal. Sigebert. d. l. (q) Greg. Turon. lib. 4. c. 51

ORATIO INAUGURALIS

8
 cessum (r): quod Pipinus conventu habito rex salutatus (s)
 quod Carolomannus fratres, una reges constituti, & hoc
 mortuo illi soli regni fasces commisi (t): quod Carolo vivo
 filius Ludovicus, & huic vivo filius Lotharius Imperii con-
 sortes dari regesque Romanorum electi fuerint (u): Nihil
 vero Hunibaldi vetustissimi Francorum Historici testimonio
 antiquius ac evidentius, qui, cum Pharamundus esset in re-
 gem eligendus, ordine recenset, (x) ut Procerum hoc Curia
 convenerit ad electionem novi regis, & adeo accurate id re-
 fert, ut præcise nominet conventus istius annum, mensem,
 locum, & denique ipsa nomina præcipuorum Procerum, qui
 curiam istam solennem constituerunt; & inter eos quatuor
 Legis Salicæ compositores connumerat.

Quin P. Aemilius, [y] ipsum Carolum Magnum refert
 evocasse Tasilonem Bavariæ ducem ad hoc Procerum Fran-
 ciæ iudicium; imo ipsos hos Proceres mox Duces, Comites
 & compares Franciæ appellat, quanquam & hoc addat: *Non-*
dum illos eo, quo nunc, ordine Majestateq; fuisse. Quippe cum
 nondum regalium dignitate, ac perpetuo supremoque ter-
 ritorii jure (quod hodie superioritatem territorialem vocant)
 eminent.

Ipsæ Childebertus, Francorum Rex, leges una cum Op-
 timatibus suis sanxisse profitetur (z) Eisdemque Clodovæo
 quoque magno & Clotario in auctoritatem legum ferenda-
 rum accessisse traditur (a). Procerum interventu & auctori-
 tate Sigisbertum, regis Austrasiorum filium, comitem maxi-
 marum

(r) Eginh. in vita Car. M. (s) Paul. Æmil. lib. 2. in hist. Pip. pag. 71.
 Add. Trith. 1. annal. pag. 62. & de Orig. Franc. p. 95. Ado. ad A.
 C. 727. (t) Hincmar. ad Ludov. Balb. Epist. 1. Eginh. in vit. Car. M.
 (u) Eginh. d. 1. Thegan. in vit. Ludov. Nithard. lib. 1. de Ludov. Pio
 (x) apud Trithem. de Orig. Franc. pag. 79. Berthald. in Flor. Franc.
 lib. & cap. 4. (y) Lib. 2. in hist. Car. M. pag. 94. b. (z) in Decreto
 leg. Salicis adjecto, in pr. (a) ib. in fin.

DE LEGE SALICA.

9

marum provinciarum à Lothario rege factum: (b) horum decreto Brunichildem, uxorem fratris ejusdem Lotharii crudeli supplicio damnatam: (c) horum communi consensu Hildericum & alios reges factos; (d) Eberwinum, majorem domus, à regno dejectum; (e) Turingos auxilium non tantum à rege, sed & à *Proceribus* petiisse, & regem in *concilio Magnatum* iis respondisse nomine quoque Procerum, (f) aliaque multa eorundem autoritate facta, legimus.

Hujus rei evidentissima quoque testimonia profert citatus ante P. Aemilius. Altemim, Arnolpho Augusto Franciæ regem se dictante, *maximam partem Procerum Odonem regnare jussisse.* (g) Et mox: Odonem, *convocatis Proceribus*, Oratione eos ad concordiam hortatum fuisse. Idem ait, Conradum Augustum *convocatis proceribus*, autorem eis fuisse, ut Henricum Saxonem Imperatorem eligerent (h). Et paulo post; Carolum simplicem in concilio Procerum, regni jure se cedere, professum esse. Imprimis autem consideranda veniunt hæc ejus verba: (i) *Dictabat, ait, consensione concilioque universæ Franciæ jus regni ultro Odoni delatum, eodem exemplo, quo ad Pipinum delatum fuerat. Si jure Pipinus regnasset, jure Odonem regnasse Mortuo sine libris Odone, testificatione semel universæ Franciæ justum ac legitimum regem esse.*

Hæc igitur omnia, fuisse jam apud veteres Francos aliquam Procerum maximæ autoritatis curiam, extra dubitationis aleam constituunt: simulque probant, eandem hanc esse curiam Franciæ, cui postea Imperii, sub Carolo Magno, Franciæ rege, accessit dignitas. Unde quoque hoc jure isthæc Curia post Carolingos Conradum Franciæ Orientalis Ducem

B elegit.

(b) Trit. lib. 1. Annal. p. 39. (c) ibid. p. 49. (d) ibid. p. 56. & 62. (e) ibid. p. 56. (f) ibid. p. 25. & de Orig. Franc. p. 74. (g) Paul. Æmil. lib. 3. pag. 124. (h) P. Æmil. d. 1. p. 130. (i) d. lib. 3. p. 125.

ORATIO INAUGURALIS

10

elegit, & hujus deinde consilio, ad electionem Henrici Saxonis, qui Auceps dictus est, processit [k]

Quin id ipsa quoque Francici imperii ratio conditioque pristina ostendit. Nondum enim electis Regibus Duces administrabant imperium cum summa potestate, qui & reguli à nonnullis vocantur: (l) gerebant bella, debellabant vicinos, dilatabant regni pomœria: & junctis hæc omnia viribus agebant. (m) Hæccine vero fieri potuerunt absque conventu, & quidem absque frequenti conventu, quo de communi rep. gerenda sæpius consultarent? Anne sæpius ipsis coeundum fuit, ut, quæ communibus opibus agere vellent, communi quoque consilio aggredierentur? An aliqui ducem negligere voluerunt interesse deliberationibus publicis, cum interesset ducatum ipsorum? An cæco impetu aliorum suffragiis subscribere; aliorum decreta sequi; & ab aliis imperata, non perspectis prius rerum momentis, facere sine exceptione placuit? Hæc igitur ut communicari consilia poterint, in curiam publicam sæpius congregari oportuit.

Electo vero postea rege, quem curia hæc ex suis elegerat; ad cuius electionem spontaneo motu, & nemine cogente processerat; an ideo id fecerunt, ut curiam solverent? Ne participes essent consiliorum publicorum? Ut omni libertate autoritateque ipsi se exuerent? Num tæduit illos autoritatis? Num pœnituit imperii? An ad privatorum conditionem redigi maluerunt? Cedere ducatibus? Descendere e media Reip. luce, & ad pedes novi regis expectare, quæ munia ipsis obeunda; quid absoluto regis arbitrio ipsis ferendum? Hæc verò quis unquam sibi persuadeat de Francis, si cogitet, quam tenaces illi semper fuerint libertatis; quot, non dicam, pro libertate, sed pro nomine libertatis, pugnata ipsis fuerint bella, quod domitæ difficultates, quot subacti su-

pera-

(k) Otto Frising. Chron. lib. 6. c. 16. Witich. lib. 1. (l) Greg. Turon. lib. 2. c. 9. (m) Trithem. de Orig. Franc. p. 78. 79. Greg. Tur. d. l. 2. c. 9.

DE LEGE SALICA.

11

peratique labores? Hosce vero Francos foris tot triumphatis gentibus, ipsisque gentium victoribus sæpius devictis, domi neglecta libertate, regis arbitrio regimini & absolutæ potestati subdicere se voluisse; nec reservasse sibi, ut publicis regni negotiis atque decretis accedat summæ regni curiæ, qua populus repræsentatur, consensus atque autoritas?

Fuit igitur semper in Francis, fuit, quoad longissime prima gentis initia respicere annales possunt, Curia hæc præ-
 Iultris, fuit potens, & libertatis Francicæ custos, ac legum negotiorumque publicorum moderatrix, *Sala* germanis dicta. Floruit illa Viris magnis & inclutis Viris imprimis civili prudentia rerumque experientia præclaris; qui & ipsi eadem, qua leges appellandi ratione, Salici dicti sunt vel Palatini. Sic enim Otto Frisingensis (n) notabiliter inquit: SALICOS esse Francorum nobilissimos, id est Francorum optimates seu Proceres; quem omnino sensum verba proprietate gemina sua referunt. Quos Frisingensis *Salicos*, eosdem Himmarus, Remensis olim Episcopus, qui sub ipso Carolo M. floruit, *Palatinos* dixit. Verba ejus sunt (nn.) *In ordinando Episcopo non Regis, vel PALATINORUM debet esse commendatio, sed Cleri & plebis electio.* Quam perspicue vero hic ostenditur, per *Palatinos* intelligi Proceres & Optimates Regni Francici: opponuntur enim Palatini plebi & Clero, ac junguntur cum Rege, duobus igitur tantum ordinibus Regni distinctis Palatini, cum plebs non sint, erunt Optimates & Proceres, quorum Curia Sala seu Palatium fuit dicta, indeque ipsi Palatini: Quid si igitur suspicemur, ipsum Salagasti nomen idem esse, quod *Salici* seu *Palatini*, & commune fuisse omnium Procerum seu Palatinorum, qui Salici seu Salagasti, quasi hospites Salæ, (Vox enim *Gast* hospitem nobis sonat) seu membra Palatii dicti sunt. Quæ tamen in re quemque suo patimur abundare iudicio.

Palatii
Francici
Proceres
Palatini vel
Salici dicti.

B 2

Ab

(n) Chron. lib. 4. cap. pen. (nn) apud Freher. Orig. Pal. p.

ORATIO INAUGURALIS

12

Jus Salicum
Francis da-
tum.

Ab his igitur Francicæ Curia Principibus, jura hæc Francis eodem tempore data sunt, quo, quicquid Francici nominis fuit assumpto in Remp. Rege, publico hoc vinculo in unius populi gentis communionem ac consuetudinem coaluerat (o). Videbant isti viri sapientissimi & regno opus esse & legibus, ut veluti leges à principatu vim ac venerationem, principatus vero à legibus modum terminosque acciperet. Videbant, gentem bellis efferatam, duratam armis, indomitam victoriis, omnem ferro mutasse mansuetudinem, & ad omnem humanitatis cultum ipsis armis, quibus tegebantur, obduruisse rigidius, eademque fronte assuetos domi apparere, qua foris hostes vincere. Hi itaque Francorum Lycurgi legum disciplinis excutere barbariem animis, uti hostem terris, mores in prælia & bella formatos asperatosque ad mansuetudinem emollire, domare ferociam populi non minus quam hostium.

Franci Salici
dicti.

Adeo vero Francorum propria fuit lex Salica, ut in nominis quoque societatem concesserint: Totum enim Francorum populum, Salicos dictos fuisse testis est P. Aemilius, qui fert. *Salicos populos Francorum esse gentem*, inquit, (p) Et Ammianus Marcellinus, de Constantino agens, ita scribit: *Quibus paratis petit primos omnium Francos, eos videl. quos consuetudo SALIOS, appellavit.* Quibus & alii adstipulantur quam plurimi (q) quos omnes referre longum nimis esset. Eodem nomine Claudianus quoque eos designat in hoc carmine; (r)

*Rhenumque minacem,
Cornibus infractis adeo mitescere cogis,*

Ut

(o) Sigebert. ad A. C. 422. & alii inf. citati. (p) lib. 17. (q) Vid. Alciat. lib. 2. Dispunct. cap. 22. Aventin. l. 4. annal. p. 183. Zoscin. lib. 3. Trith. de Orig. Franc. pass. Lampad. ad Sleid. de 4. Imper. lb. 3. c. 2. Bear. Rhenan. lib. 2. Rex. German. Covarruv. Pract. quæst. cap. 1. §. 8. (r) Paneg. 1. ad Stilic. Cui add. Covarr. d. 1.

*Ut SALIUS jam rura colat, flexosque SICAMBRI
In falcem curvent gladios.*

Hos enim Salios alibi Francos nominat, & cum iisdem Sicambris conjungit. (s)

*Ante ducem nostrum flavam sparsere SICAMBRI
Caesariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuerunt solo.* - - -

Quin ipsa constitutio Childeberti (t) Regis Francorum, *Salicos* eos vocat, cum in violatorem Sabbathi *pœnam 15. solid. constituit, si SALIGUS fuerit, & 7. solidorum, si ROMANUS*: Ubi per *Salicum* non nisi *Francum* intelligit, nam & in legibus Salicis (u) perpetuo fere Franci & Romani invicem opponuntur. Sed & capitula legi Salicæ à Ludovico Imperatore addita diserte *Salici Franci* vocabula referunt, legemque, si *Saxo* vel *Friso* cum *Salico Franco* litiget, constituunt (x). Quem appellandi morem non aliunde utique traxerunt Franci, quam à *Sala* seu *Palatio* illo publico, quod *Franciam* representavit, & ut legis ita nominis quoque causam dedit.

Quin & ipsa Francorum terra dicitur Salica, in illo legis famosissimo capite, quod de successione ita disponit (y): *De terra Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terra hereditas perveniat.* De qua vero terra disponderet lex Salica, nisi de sua, in quam imperium potestatemque habuit, id est, Francica? Ita enim terram Salicam veterum quoque interpretatione Franciam esse asserit Paulus Aemilius (z) & ex eo Covarruvias (a) aliique. Neque vero tam celebre legis caput in privatorum agros ac fundum constitutum, nec quodvis prædiorum, sed sola Salicorum seu Palatinorum, quos Franciæ Principes fuisse audi-

Terra Francorum Salica dicta.

B 3

vimus

(s) in 4. Consul. Honorii. (t) Quæ adjecta est legibus Salicis. §. 14.

(u) Tit. 15. §. 2. & 3. Tit. 34. §. 3. & 4. (x) §. 3. (y) Tit. de Alode 62.

§. fin. (z) lib. 8. in hist. Phil. longi. (a) Pract. quæst. 1. §. 8.



vimus, prædia avita Salicæ terræ nomen usurpasse, atque his terris injectos hos legis frænos fuisse arbitror. Declarat id utique testamentum, quod Bodinus refert (b) & Burdegala, cum inter nobiles quosdam de bonis gentilitiis ageretur, testamentum vetustissimis conscriptum litteris; prolatum fuisse ait quo quidam testatur filiis suis masculis *terram Salicam* diviserat, idque iudices de prædiis feudalibus interpretatos esse. At cur de solis feudalibus, cum allodiales quoque Procerum terræ à genere & majoribus quæsitæ gentilitia bona sint; avita nimirum prædia, *die Stamm Güter*/ quæ generi ac familiæ, legis hujus potestate, quasi quodam fidei commisso, alligata fuerunt? Idque eo probatur, quod idem legis caput in RIPUARIIS quoque legibus, quæ & ipsæ jus Francorum quorundam fuerunt, inveniatur; ubi eadem terra Salica *terra aviatica*, id est, avita dicitur (c): *Dum virilis sexus extiterit, fœmina in hereditatem AVIATICAM non succedat.* Quin & utriusque legis rubrica est *de Allodiis*, non *Feudis*, quæ tunc Franci quoque potius victis à se populis concesserunt, quam inter se frequentarunt. Eundemque legis sensum apprime confirmat Scriptor Gallicus (d), qui terram Salicam vocat *vetus patrimonium*, quod *prisca appellatione TERRA SALICA dictum*; atque hac appellatione veteres diu usos fuisse, scribit: & insigne pariter instrumentum Agolismensis cujusdam Archidiaconi; anno 1231. factum affert ibique hæc haberi ait: *Cui dedit suum allodium vel hereditatem Salicam ibi nominatam, in agro Santonum sitam.*

Possedisse autem Principes Salicos seu Francos semper amplissimas terras allodiales amplissimo jure ac potestate, Pipinorum aliisque ab ultima antiquitate exemplis perdiscimus. Salicorum igitur avitas terras, Salicas vocatas esse vel sola nominum ratio suadebit, persuadebunt vero quæ diximus.

(b) de Rep. lib. 6. c. 5. p. 1086. (c) Tit. de Alodibus. §6. §. fin. (d) Joh. Tilius de Reb. Gall. tit. de Filiab. Franc.

mus. Ipsi denique ex Francorum sanguine nati Reges ac Imperatores hoc Salici titulo celebrantur. Primum eorum Regem Pharamundum Salicum fuisse concurrunt annalium testimonia. Conradus II. qui primus post Saxones ex Francorum genere Imperii fasces recuperavit, non alio magis nomine, quam Salici ostentatur (e). Miremur vero iterumque miremur, adeo celebre fuisse Salicum nomen etiam apud rerum Moderatores, ut per id Regno atque Imperiali culmini aliquid accedere putaverint; quasi hujus nominis celebritate ipsa Summa potestas ac Regia dignitas fieret illustrior, ipsumque Sacri Imperii axioma augustius, si Salici sanguinis augeatur præ eminentia.

Reges Francorum Salici.

Colligam jam tabulas, componam rationes, omnibusque, quæ diximus, in unius argumenti compendium collectis contractisque subiciam. Audite simul conspectui vestro, quam Franciam omnis in Salici nominis consuetudinem abierit.

Quænam est in summa illa, quæ leges has dedit, Procerum Curia, Palatinum seu Sala? Franciæ. Qui Proceres Palatini seu Salici? Franciæ. Quis populus Salicus? Franciæ. Quæ terra Salica? Franciæ. Qui Reges ac Imperatores Salici? Franciæ. Quæ denique leges vel jura Salica? Franciæ. Hæc certa annalium fide plana jam fecimus. Ut ambigi amplius non possit, Carolum M. cum optionem Italis daret, quo jure vivere vellent, Romano, Longobardico an Salico, per Salicum non aliud intellexisse, quam Francicum. Per hoc vero significari jus illud Franconicum, cujus Aurea Bulla meminit, ejusque Regionibus Vicariatum Comitis Salæ seu Palatii Imperii describit, porrò jam demonstrabit oratio.

Κυανη Φαλαίσωσι.

Nemini igitur non perspectissimum fore arbitror, S. P. Franciæ E. Jus Salicum esse ipsum jus Francicum, quod autoritate Salicæ seu & quæ ejus

(e) uti ex Ferrar. Mont. in l. 2. in princ. ff. de Reg. Jur. Covarr. d. cap. origo.

1. §. 8. Car. Molin. in Consuet. tit. 1. §. 26. n. 2. allegat. Reink. 2. class.

2. cap. 6. n. 9.

la seu summæ Francorum Curia constitui solitum est. Videamus vero nunc, id quod præcipue, ad eruendum Aureæ Bullæ sensum intendimus, quæ sit ista Francia, quibus finibus ea contineatur.

Qui ex Trojano incendio, vel à Brenno & Gallis illis, qui Tempore Tarquiniorum partim in Italiam & Græciam, partim in Saltus Hercynios ac Pannomiam effusi leguntur, Francorum originem derivant, omni annalium autoritate destituti, solam fingendi, quod placet, voluptatem sequuntur, & fabulas potius ludere, quam rerum seriem contexere fatagunt.

Franciam, quo tempore primū innotuit, primosque reges ac leges accepit intra Germaniæ fines, eandēque fuisse, quæ postea Franconia seu Francia Orientalis dicta.

Ne igitur à fabularum commentis vel vanissimis conjecturis rerum argumenta petamus, non sublesta aut dubia, sed certa incorruptaque monumentorum fide ostendemus, Franciam, Franciaque sedem in media Germania tum fuisse, cum primum illa annalibus innotuit, & jus Francicum vel Salicum fuisse, cum Franci ullam in Gallia sedem fixam habuerunt.

Primum Franciæ historiæ initium, quoad longissime memoriam ejus ultimam repetere possumus, in tertium æræ Christianæ seculum, ac tempora Decii vel Gallieni incidit (f), nec antiquior, quæ quidem continens sit, reperitur eorum memoria. Cæsari, Tacito Suetonio aliisque, qui proxime præcedentis ævi, vetustioremq; temporum historias imprimis illustrarunt, multæ Germanorum Gentes memoratæ sunt, armisque cognitæ, & peragrata universa Gallia, at Francorum nulla vestigia.

Imprimis igitur ostendam, Ser. Princeps, Franciam cum eo tempore, quo primam ejus mentionem ordiuntur annales, tum, quo reges suos acceperunt, in sola Germania nostra habitasse, atque ibi tantum sedes habuisse. Quicquid enim veteris

(f) Aurel. Victor. de Cæsarib. in Gallien. Carion. Chron. lib. 4. p. 471. Petr. Albin. Chron. Misn. tit. 3. p. 68. Berthald. in Flor. Franc. l. 1. c. 3.

veteris infucataque fidei est, eo tempore Franciam & Francos cis Rhenum, dextramque ejus ripam locavit. Hoc annales summo consensu testantur (g). Hoc Postumi historia, qui eos ex oris trans Rhenanis evocatos contra Gallienum armavit; Hoc Aventinus [h], cum Julianum recepta omni Gallia, ad Rhenum arma movisse; & ibi Francos subito invasisse ait; hoc veteres illi Panegyrici varii Constantino, Constantio, Maximiano aliisque dicti comprobant (i). Cis Rhenum autem Germaniam fuisse, concordia totius antiquitatis historicae consensione decisum est, idque locupletis satis testimonio tradit Dion (k) autor gravissimus, qui Rhenum absque ulla controversia duplices Celtas discernere scribit; scil. Germanos & Gallos. Idem ex historia Caesaris patet, qui, postquam Germanos ex Gallia, in quam Ariovisto duce transenderant, expulit, tum demum transmissis Rheno eos in Patria ipsorum devicisse; & proximam partem Germaniae domuisse dicitur. Tacitus (l) Rhenum Germaniae limitem facit; Et porro ait: *Ipsam Rheni ripam haut dubie Germaniae populi incolunt &c.* Quod & Liviana prodit epitome (m). Atque hinc cum Claudianus laudaret Stiliconis operam in pacanda Germania ad Rhenum ita cantat (n),

Geminasque viator

Cum videat ripas, quae sit Romana, requirat.

C

Roma-

- (g) Procop. lib. 1. de Bell. Got. Vopisc. in Probo Imp. Ado. Chron. p. 153. Vincent. Lupan. de Magist. Franc. lib. 1. in princ. Berthald. in Flor. Franc. lib. 1. cap. 1. Munster. Cosinogr. lib. 2. c. 30. in descript. Gallia. & c. 61. Trithem. 1. Annal. p. 4. p. 10. p. 32. & de Orig. Franc. p. 63. & pass. Carion. Chron. lib. 4. p. 472. Nic. Vignier. es mem. de Franc. lib. 1. & c. (h) lib. 2. Annal. pag. 115. (i) dum enim bella Romanorum trans Rhenum gesta passim laudant; trucis cujusdam Francorum populi, tanquam praeter ceteris metuendi meminerunt. (k) Lampad. ad Sleid. de 4. Imp. 1. 3. c. 1. (l) de Morib. Germ. (m) lib. 107. 105. 107. (n) Paneg. 1. ad Stilic.

Romana enim dicta fuit Gallica, altera Germanica: Ita Aventinus non uno in loco (o) *Germanos transrhenanos* vocitat, eosque sæpius *Rbeno transmissis* in Gallias transiisse passim refert; quin transiisse eos dicit *non longe à mari, quo Rbenus influit* (p). Et mox: Senatores Trevirorum *in Germaniam trans Rbenum* profugisse: Item Cæsarem ex Germania, parte pontis *Rbeni, qua Germaniam attingebat*, recisa in Galliam reversum memorat (q).

Quid vero Rhenum in argumentum adstruendæ Francorum patriæ Germanicæ adducimus? Id ipsum quod Franci Germaniæ populi fuerint, vetustissimi certissimique demonstrant annales. Ipse Cicero, cum in literis (r) lætaretur, Germanos Aurelio, quem Hircius Gallis præposuerat, pacem obtulisse, postea in sequentibus literis (s) inter hos Germaniæ populos refert quoque *Francos*, eosque Francones nuncupat. Ipse P. Æmilius (t) Franconiam Germaniæ partem esse expresse refert, & sententiæ suæ testes gravissimos refert modocitatum Ciceronem, & D. Hieronymum. Claudianus quoque, cum Francos & Suevos victos dixisset, mox pariter eos Germaniæ vindicat, dum victam Germaniam canit (u).

Nunc classica FRANCIS

*Intulimus, jacuere tamen: Nos Marte SVEVOS
Contudimus, queis jura damus; quis credere possit.
Ante tubam nobis audax GERMANIA servit.*

Gallos autem alios Francos, & à Gallia distinctam Franciam eique oppositam fuisse patet; nam & Sextus Aurelius Victor ait (x) *FRANCORUM gentes direpta GALLIA, Hispaniam possedisse*; Et Claudianus sic iterum gloriatur (y).

Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Et alibi

(o) lib. i. Annal. p. 34. & seqq. pass. [p] d. l. p. 35. [q] d. l. p. 35. (r) lib. 14. ad Attic. epist. 10. (s) d. lib. 14. epist. 11. [t] lib. de Gest. Franc. pag. 9. (u) Paneg. i. ad Stilic. (x) de Cæsarib. in Gallien. (y) d. loc.

Et alibi, cum cecinisset pacatos à Stilicone primum Germaniæ populos, interq; eos Francos & Sicambros, subjungit demum, postea Gallias quoque ab eo pacatas fuisse (z):

-- -- -- *Post otia Galli.*

Limitis -- -- --

Quin & tum, cum Francorum reges jam in Gallia habitarent, Franciæ, non Galliæ reges dicti sunt. Ita P. Æmilius (a) Clodovæum semper *Francorum* regem vocat; & à *Franco* leges Allemannis impositas; hos veritos, ne in eorum caput durius à *Francis* consuleretur: Ostro Gotorum regem *Franco* gratulatum: Responsum à *Franco* accepisse, &c. ait, ac perpetuo discrimine Francos à Gallis tum quoque separat.

Quod peregregiè quoque Aventinus vetustis Autoritatibus & publicis instrumentis exhibet (b). Et ipsius Caroli M. lex extat in populos sibi subjectos edita, quos ita recenset & distinguit: *FRANCI, Alamanni, Saxones, Bajuvarii, Thuringii, Frisones, GALLI &c.*

Gallia vero à Francis occupata Franciæ insita fuit, & in unum Franciæ corpus cum ea coaluit, indeque illa in Orientalem seu Germanicam, & Occidentalem seu Romanam Franciam divisa fuit, sic Viterbiensis memorat [d]: *Tempore Caroli M. Regis Francorum, tota Gallia, id est, Celtica & Belgica Lugdunensis, omnisque Germania, que est à Rbeno usque ad Illyricum, una Francia fuit: postea vero regno inter filios filiorum diviso, aliud orientale aliud occidentale Regnum Franciæ dicebatur, utrumque tamen vocabatur regnum Francorum.* Et Eginhardus ait [e], ipsum Carolum M. Franciam universam divisisse in Orientalem & Occidentalem. Atque ei unitati ita applaudit Æmilius (f), *Brevi* (scil. post victoriam de Alemannis

C 2

repor-

(z) in IV. Consul. Honorii. (a) lib. 1. in Histor. Clodov. (b) lib. 4. Annal. p. 184. 185. (c) in Capitular. lib. 6. c. 281. (d) l. 17. Add. Ort. Frising. lib. 7. cap. 17. & pass. (e) in vit. Car. M. [f] lib. 1. in histor. Clodov. p. 17.

reportatam, & insecutam Clodovæi Baptismum) *Omnes Franci nostri effecti, & Romanis institutis dediti Gallorum emulatione. Nec ulla publica letitia major unquam Gallis affulsit, quam quod unius secum corporis effecti Franci eisdem mysteriis uterentur.*

Quid referam, quod Procopius (g) & Agathias (h) exertè Francos appellant *populos Germaniæ nobilissimos*? Taceo alios, ne in tanta autoritatum luce tenebras profiteri videat. Solem igitur cœlis negant, qui Francis Germaniam.

Adeo autem Francos Germaniæ populos fuisse constat, ut eorum patria sedes, fines, ac termini certissima testimoniorum autoritate ostendi in Germania possint. Equidem, quod Romanis, qui ante Decios scripserunt autoribus adeo incognitos fuisse Francos diximus, vel hoc argumento est, eos interiora Germaniæ insedisse, ut eousque per medios Rhœni accolæ perumpere Romanorum arma non potuerint. Atque id disertissime asserit gravissimus omnino autor, Hieronymus, qui circa hæc ferè tempora, & scilicet in confiniis quarti & quinti seculi vixit, cum inquit (i) *Inter Saxones & Alemannos FRANCIAM incoli, non tam latam quam validam.*

En Franciam in meditullio Germaniæ, inter Saxones & Alemannos, quibus præcipuis Germaniæ populis utrinque Franciæ latera clausa. Idque demonstrat, quod hodiernum eidem terræ super est, idem nomen: Nam & hodie tractus Germanis *Francken* / ut olim, dicitur, quam vocem sive in Franciam sive in Franconiam vertas, utramque flectionem, & magis etiam priorem, Romani sermonis genius admittit. Quemadmodum & Hieronymus Franciam vocavit, & semper ea terra Francia Orientalis vel Germanica Francia nuncupata fuit. Hinc *manifestam fidem esse* ait P. Æmilius (k) *eandem Franciam & Franconiam fuisse, & indidem ortos, qui Francorum*

(g) lib. i. de bello Goth. (h) lib. i. (i) in vita Hilarionis. (k) lib. i.

postea in Gallia confedere. Hujus rei autores esse omnes fere historiarum scriptores testatur Naucerus. Hoc sinceriores & à fabulis alieni annales produnt (l). Hoc fatentur omnes, qui Francos ad Salam fluvium (is enim mediam Franconiam interluit) habitasse asserunt, indeque eos Salicos dici existimant (m). Hoc Claudianus refert, cum Francorum sedes ad fluvium Albim fuisse docet, atque ita canit (n):

mediumque ingressa per Albim

Gallia Francorum montes armenta pererrant.

Hoc denique illi docent, qui Francos Nicri accolae faciunt, ut Sidonius, cum ait (o):

Bructerus, ulvosa vel, quem Nicer abluit unda,

Prorumpit Francus

Franconiam igitur Francorum genitale solum esse satis constat, in quod aliunde eos advenisse nullis, quæ integræ fidei sint, monumentis ostendi potest, longeque & ad laudem fatius & ad veritatem aptius est, natales eorum victrici Germaniæ, quam devictæ incensæque ob scelus Trojæ, aut Brenni invasionibus & rapinis deberi, qui ante octingentos amplius annos, quam Franci innotuerunt, cum Gallis suis in Italia & Græcia ita cæsus deletusque est, ut ne cladis quidem nuncius relictus sit, & ne Gallis istis commune Francorum nomen fuit, nec tot seculorum intervallo ulla memoriæ continuatio.

Parum autem refert, Francos ex Batavorum vicinia & Sicambrorum terra in Franconiam, an hinc potius egressos ad Rhenum usque sedes suas protulisse dixeris, cum certum sit, ea, qua historia ipsorum cœpit, tempestate ipsos omnem hunc tractum, quem Franconiam dicimus, usque ad Rheni

C 3

fluen-

(l) Naucerus. Chron. vol. 2. Gener. 27. p. 688. & seqq. vid. Freher. Orig. p. 2. cap. 3. Ott. Frising. dict. loc. (m) P. Emil. lib. 2. in Histor. Car. M. Beat. Rhenan. Rer. Germ. lib. 2. Covarruv. Pract. quæst. cap. 1. §. 8. &c. [n] Paneg. 1. ad Stilic. [o] apud Freher. d. cap. 3.

fluenta iam tenuisse (o). Atque hinc Clodovæus M. Sicamber dicitur, in iis Episcopi Remigii verbis, quibus regi ad Sacrum fontem procumbenti ita præivisse dicitur (p): *Mitis depone colla Sicamber.* Hæc igitur Franconia, hæc terra Germanica, Germana Francorum patria est! Hic regni Sala seu Curia! In hac terra Salica primum jus suum Salicum Franci acceperunt; in hac primos suos reges! Acceperunt, inquam, Franci in hac Francia Germaniæ primum & reges & leges, cum nondum ullam sedem fixam in Gallia transmissio Rheno adquisivissent: Pharamundum enim, qui primus regni fasces suscepit, & cujus tempore leges Salicas compositas fuisse fidem fecimus, nihil in Galliis, nedum Galliis habuisse, sed ejus demum nepotem Merovæum Galliæ partem occupasse, certum est, atque in id omnia annalium conspirant suffragia (q). Unde hodieque historia Gallica reges suos à Merovæo numerare incipit, primamque regum familiam Merovingorum dicit. Etsi enim antea quoque Franci trajecto Rheno Galliam perpetuo tentatam, nonnunquam etiam aliqua parte occupaverint, nunquam tamen, florente Romanorum potentia sedes in ea figere potuerunt. Nam à Constantino M. à Juliano, aliisque omni Gallia ejectos esse constat. Ita P. Æmilius, autor clarissimus, narrat (r), *Francos rege Clodione Galliam rursus tentantes, transitu Rbeni à Romanis prohibitos.* Atque hunc ipsum Clodionem in terminis Thuringorum (ubi Francia Orientalis est) habitasse Gregor. Turonensis memorat (s). Clodionis igitur tempore, qui Pharamundi successor

(o) Vid. autores sup. cit. Add. Greg. Turon. lib. 2. cap. 9. Berthald. in Flor. Franc. lib. 1. c. 1. & 3. (p) Greg. Tur. lib. 3. c. 31. Trith. de Orig. Franc. p. 69. Munst. 2. c. 30. in Descript. Gall. (q) Ott. Frising. lib. 4. cap. 32. Sigebert. Chron. ad An. C. 422. Chronicon de Regibus Franc. (quod P. Æmilii historiæ adjectum) Ado. A. C. 375. Trith. lib. 1. Annal. p. 35. & de Orig. Franc. p. 83. Prologi duo. in leg. Sal. Item Aimonius, Cuspinianus in Contr. Sal. &c. (r) l. 1. pag. 11. (s) L. 1. cap.

fuit, Franci trans Rhenum nondum confederant, cum transitum tunc demum tentaverint & prohibiti sint; Et postea demum duce Meroveo, Clodionis hujus filio vel successore, magna illa Romanorum clade, qua Bonifacius eos afflixerat, tanquam novo classico excitos Francos, in Galliam circa A. C. 144. regressos fuisse, indeque jam deficiente Romanorum potentia Gallia sedes continuas fixisse, idem laudatus Autor docet [s].

Pharamundi itaque ætate Francia omnis intra Germaniæ terminos constitit, atque inter hos adeo limites hoc regnum per Franciæ Salam seu Curiam natum fundatumque fuit. His finibus conclusum tunc erat ipsorum Imperium non Imperii libido. Ex hac enim patria Germanica, veluti è centro quaqua versum mox extensa est Francici nominis potentia; adjectumque huic Curia Francicæ, quicquid continua armorum felicitate, assiduoque victoriarum cursu quæsitum fuit. Idem enim antiquissimo jure Francorum receptum, in veteratoque more corroboratum fuit, ut, quicquid à Francis quæsitum esset, id ipsum Reip. Francicæ accresceret. Cujus juris vetustissimi sententiam ita exponit Scriptor Gallicus (t): *Res omnes à Francis parte accedebant Francia, ut à Romanis parte in rep. seu Imperio censebantur.* Idem Gregorius Turonensis (u), Idem Aymonius (x), Idem alii confirmant indeque est, quod Jura seu bona Coronæ vocentur. Idem & mos Gentium, & naturæ jus ac ratio definit. Cohærent enim rationes Civitatis ac Principis, qui Civitatis & Reip. pars eaque præcipua est; cum idem omnibus finis, publica scil. & communis felicitas, conjunctim propositus sit. Quod si ergo Princeps, hoc titulo seu officio Principis, quo solo potest, id est, eo officio, quo Principatum gerit bello aut armis gentes subigat, & si jus, sibi præcipuum in iis adquirat, non tamen

priva-

(s) dict. loc. (t) Joh. Tilius de Reb. Gall. tit. de Filiis Regum. (u) lib. 2. c. 27. (x) lib. 1. c. 12.

privatis suis rationibus, sed publicis id accenseret, id est, iis, quæ communes sunt populo, etsi suo sumtu bellum gereret. Si enim in privatum redigeret patrimonium, desineret esse civitas essetque herile aliquod imperium, & magna quædam civitas (y).

Franci ut è
Germania
terminos
late protu-
lerint.

Qua vero ratione Franci ex his sedibus suis arma victoriaeque in vicinas & alias gentes, quandoque cum nominis sui terrore, circumtulerint, nemini nisi cui omnis prope historia, ignorabitur: Et primitus quidem Occidentales in Galliam Belgicam irruptionem fecere; idque est, quod P. Æmilius inquit (z): *Primos Francorum circa Toxandriam constitisse Secundos in Tungris & mox ad Axonam fluvium*. Idem referens Ammianus Marcellinus: *Quibus, inquit (a), paratis petit primos omnium Francos, eos vid. quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula sibi figere praelicenter*. Hæc autem Gallia Belgicæ loca sunt (b), quam jam ante inhabitaverant Germaniæ populi. Unde Cæsar (c) hos appellat Germanos Cisrhenanos; & ipsi hi Belgæ à Germanis se ortos testantur apud Cæsarem & Rhenum antiquitus traductos propter loci fertilitatem ibi confedisse, Gallosque, qui loca hæc incolebant, expulisse, & Plinius ait (d): *Toto hoc mari ad Scaldin usque Fluvium Germanicæ accolunt Gentes*. Idem testantur, alii quam plurimi (e). Ab altera quoque parte Franci Orientales ex suis sedibus egressi trajecto Rheno in Treviris & circumjectis finibus inter Mosellam & Rhenum confidentes, ea quoque parte Galliam tentarunt; & urbe Coloniensi potitis Mediomatrices, Leuci aliique se dederunt (f). Atque ita Franci primo Galliam

(y) Aristor. lib. 7. Polit. Grot. de jure B. & P. lib. 3. c. 6. §. 14. & cap. 8. tot. (z) de Reb. gest. Franc. lib. 1. p. 12. (a) lib. 17. (b) Plin. lib. 4. cap. 17. (c) lib. 2. de Bell. Gall. Avent. Annal. lib. 1. p. 34. & seqq. (d) lib. 14. c. 13. in fin. (e) Soxom. lib. 3. Hier. in Chron. Avent. lib. 2. Annal. Greg. Tur. lib. 2. Trith. pass. (f)

liam Belgicam, deinde propediem univ[er]sam occupatam
 Franciæ sive Germaniæ suæ adjecerunt. Ea subacta, flexo in-
 de victoriam cursu in Germaniam reversi conterraneos
 suos, Alemannos seu Suevos, duce Clodovæo Magno, famo-
 sissimo illo ad Tolbiacum prælio, subjugarunt, eoque ipso
 cum Alemannia totum Rheni tractum imperio suo adjunxe-
 runt. Secuta inde Saxonia & tota adeo Germania. Hæc com-
 pendio refert prædictum Chronicon de Regibus Francorum
 (g), quod ita insit: *Francorum gens è Germanica Nobilitate in
 Galliam veniens, regnum condidit, &c. Gallias enim debellavit,
 & prima toti pariter Germania imperavit. Accessit deinde I-
 talia, & universum denique Occidentis imperium.*

Ubi tamen omnino notandum, non desisse eam appel-
 lati Galliam Belgicam, etsi sub Imperio Germanorum fue-
 rit: Veteres enim plerumque non imperiis, sed regionibus;
 non populis, sed locorum situ terras discriminabant, ita ut
 vel montium jugis, aut fluminum ripis, aut alias locorum si-
 tu singulas regiones terminarent, non vero quatenus impe-
 rium & jura cujusque populi se extenderent: ne semper cum
 incolis terræ nomen mutaretur; & toties in singulis locis no-
 minum foret variatio, quoties novæ contingerent occupa-
 tiones; cum nomina illa terræ potius sint, quam populi. Ita,
 etsi Germania, & Gallia sæpius incolas mutarint, mansit ta-
 men nomen Germaniæ, & Galliæ usque ad Alpes. Ita Gallia
 quoque à Scaldi ad Sequanam dicta fuit Belgica: Inde ad
 Garumnam Celtica seu Lugdunensis, & porrò ad Pirenæi
 montis excursus Aquitania; & mansere iis partibus hæc no-
 mina, quibuscunque incolis habitare fuerint. Non tamen
 hoc impedit, quo minus unicuique populo jus, quod armis
 aut alia ratione sibi in terras alienas acquisivit, salvum & in-
 colume maneat, & occupata devictaque terra non sui mane-
 at juris, sed cedat juri victoris. Quis neget ergo, partes illas

D

Gal-

(g) P. Emilio adjectum.

Galliæ à Germanis occupatas, non amplius fuisse juris Gallici sed Germanici? Quis neget, terras Francorum juri ac imperio adjectas, non amplius sui juris fuisse, sed juris Francici. Hoc ergo jure Carolus Magnus Imperator, qui his Francis Saliis, à quibus subacta & debellata est Gallia, in regno successit, Galliæ imperavit, & regnum ac jus, quod Franci in Gallos vi armorum consecuti sunt, Franciæ suæ, non Franciam Galliæ adjecit. Quid enim? Jura victoriæ occumbentibus concedere? Imperii insignia tribuere genti subjugatæ? Cum regnum Galliæ armis sibi quæsiverint Franci, illud victrici Franciæ negare, deferre Galliæ devictæ? Bello subactis imperii gloriam asserere, servitutem victoribus? Itane Romanum quondam imperium cesit devictæ Galliæ, & in provinciæ formam redactæ? Itane Imperatores Romanos Reges potius Galliæ, quæ ipsorum armis occupata erat, fuisse, quam Romanorum videtur? Sed longius quam vellem evagatus sum, Redeat, unde digressa est, oratio.

Juris Franconici terminis.

An ergo vastum Franciæ Reip. corpus Franconici Juris terminis comprehendimus? Equidem, quæ speciali lege exempta inde sunt, merito à Franconici Juris, eoque conclusi Vicariatus Universitate excipimus, at cætera ea complectimur. Separanda ergo primum inde Italia est, cui Carolus M. quo vellet, jure uti concessit. Separanda est Francia Occidentalis seu Gallia, quæ sub Carolingis jam divisa à reliquo corpore fuit. Separanda denique Saxonia est, quæ in ipsa Germania semper proprio jure usa fuit, hodieque utitur: Atque isthuc est jus illud geminum Germanici Imperii, Franconicum scil. & Saxonicum, cujus discrimen Aurea Bulla [h] inculcat, ejusque Regionibus duos Imperii Vicariatus dividit. Isti quoque sunt Juris Franconici termini, quibus eadem Aurea Bulla jus illud & Vicariatum describit, scil. in partibus Rheni & Sueviæ: Suevia enim eadem est ac Alemannia, & hæ

voce s

(h) Tit. 5.

voces promiscue à veteribus acceptæ sunt. Id utique evidenter testatur vetustissimus Autor Hunibald. (i) (cujus fere temporibus hæc gesta feruntur) qui aliquando ita loquitur: *Suevis id est, Alemannis: Et mox Alemanni, qui & Suevi &c.* Unde ad Sueviæ partes etiam Bojoariam pertinere infertur; quia Bojoaria pars est veteris Alemanniæ, ut testis est Aventinus; qui ita inquit (k): *Theodomarus superato amne SVEVOS, BOJOS [quos communi vocabulo ALEMANNOS vocabant] non parva clade affecit.* Eademque ratione Austriam quoque usque ad Alpes ad veteris Alemanniæ seu Sueviæ appellationem; ex quo Alemannis illa accessit, pertinuisse Autores testantur (l); cum omnem quoque Germaniam vox hæc sæpe complecteretur. Et hos Franciæ terminos olim fuisse refert Sleidanus (m), & *Francorum,* inquit, *Reges ante Carolum eam tantum tenebant Germania partem, quæ est inter Saxoniam & Danubium, interque Rhenum & Salam, ad hæc Sueviam atque Bavariam.*

Dedimus explanatum jus Salicum seu Palatinum, fecimus fidem, esse illud jus Francicum seu Franconicum; constituimus ejus fines ac terminos. Nunc, quod alterum orationis caput est, Vicariatus, qui his terminis describitur, rationem exequar, atque ex antiquitate planum faciam, eum Comitatus Palatii seu Solæ Francicæ officio, quod antiqui majores domus regni Franciæ gesserunt, apertissime contineri.

Revolvamus itaque eam orationis partem, quæ Franciæ Germanicæ Salan seu Palatium, cujus autoritate jus omne Franconium sancitur indeque Salicum seu Palatinum dicitur, exhibuit. Hoc idem Palatium Franciæ Germanicæ est, quod postea Imperii factum: hæc eadem Sala vel Curia, quæ SS. Curia Fran-

D 2

Impe-

(i) apud Trith. de Orig. Franc. p. 13. & seqq. (k) Lib. 3. Annal. circa princ. p. 143. (l) Arum. ad A. B. Discurs. 3. th. 1. Freher. ad Petr. de Andl. lib. 2. c. 1. (m) De 4. Imp. lib. 3. c. 4.

ciæ Germa- Imperialis dignitatis fastigio aucta postmodum fuit. Id nemo
 nicæ facta quisquam negabit, quin, omnia prope ea, quæ diximus; ne-
 est Curia que hæc, quin quicquid in annalibus antiquæ. castæque fidei
 Imperii. est.

Nihil autem in vulgus quoque Doctorum notius, quam
 quod Comitiam imperii, seu hoc Concilium regni Procerum
 perpetuo A. B. (n) stylo Curia appelletur, & nihil frequen-
 tius in ea occurrat, quam *Curia Imperialis*; qua voce non au-
 la Imperatoris denotatur, in ea enim vix unquam contingit
 Electores simul omnes congregari, sed Curia Imperii, in qua
 Principum & Electorum conventus generales, qui Comitio-
 rum nomine veniunt, celebrantur. Ita enim expresse Impe-
 rator (o) Comitiam Norimbergensiam, quibus ipsa Aurea Bulla
 est promulgata, dicit solennem suam Curiam in Nuremberg,
 cum Principibus Imperii celebratam; ubi non erat aula Im-
 peratoris. Sic quoque Mitensis Curia dicitur (p) in qua ul-
 timum caput Aur. Bull. promulgatum est, nec tamen Meti
 tunc fuit aula Cæsaris; sed per istas Curias intelliguntur Cu-
 riæ seu domus Comitiorum universalium imperii: uti diserte
 etiam explicatur in ipsa A. B. (q) vox Curia, quando Imp.
 Curiam vocat *congregationem inter ipsum & Principes Imperii
 celebratam*: & alibi (r) iudices regalis Curia, & ipsa quoque
 Regis Bohemici Comitiam Curias, eademque tribunalia nun-
 cupat (s).

Et nihil ergo dubii remanet, Comitiam imperii perpetua
 loquendi formula A. B. Curias vocari. Quid autem aliud
 est Curia quam Palatium? Utriusque vocis eandem esse signi-
 ficationem plane constat; & non tantum apud Latinos Pala-
 tium idem est, quod Curia; sed & apud Gallos, *Cour & Palais*;
 apud Anglos, *Court & Palace*; apud Italos, *Corta & Palazzo*;
 apud Hispanos, *Corte & Palacio*, idem prorsus significant; ac
 pro-

(n) Tit. 3. 4. 5. 6. & 24. (o) A. B. tit. 12. (p) A. B. tit. ult. in rubr. & tit.
 12. (q) d. tit. 12. (r) A. B. tit. 8. (s) d. tit. 8. & tit. 11.

proinde domus Comitiorum Imperii, quam A. B. perpetuo vocitat *den Kaysers Hof*/ non minus recte Palatium, quam Curia dicitur.

Quis autem non advertit, stylum hunc A. B. sine dubio formatum esse ex antiquæ Francorum consuetudinis serie continua & haut interrupta, qui domum conventus Procerum, *Curiam* vel *Palatium*, vel vernacule *Salam* appellare consueverunt. Cujus rei evidens est testimonium, quod Parisiis domus illa satis nota & conspicua, ubi summus Galliaë est conventus ac tribunal (Parlamentum Galli vocant) *Palatium* vel Gallice *le Palais* dicitur, nihilque tritius vulgo, quam locus, *ais Palais*. Constat autem, nunquam ibi Regis habitationem vel aulam privatam fuisse; sed locum supremi iudicii & conventus regni: evidenti argumento, veteribus Francis & Gallis, qui sub eodem Rege, & communi regiminis ratione facile tunc in morum & consuetudinum æqualitatem coaluerunt, domum Conventuum seu iudiciorum regni *Palatium* fuisse dictum. Atque inde hæc Francorum Germanorum Curia semper Jus Imperatoris eligendi post Carolingos, in quibus non electitia, sed hereditaria fuit dignitas, continuavit: cum primum enim, Caroli M. progenie, electioni Imperatoris locus esse, & de Imperio à Carolingis ad aliam virtutem nobilitatemque transferendo agi cœpit, ait Æmilius, (t) concursum *Procerum Germanorum* factum fuisse ad Othonem, Saxoniam ducem, eumque rebus gestis sanguineque nobilissimum, ac summa prudentia virum, sed senectâ invalidum, Augustum salutatum; ipsum vero excusatione usum, se *Germanicis rebus* propter ætatem usui esse non posse; ejusque consilio Conradum, Franconiam ducem, electum. Et postea: (u) Conradum Augustum, cum supremum sibi diem adesse sensit, *convocatis Germanis Proceribus*, autorem eis fuisse, ut Henricum,

D 3

Otho-

(t) Lib. 3. in Hist. Car. Simpl. p. 128. (u) Ibid. p. 130. Sleid. de 4. Imp. lib. 3. c. 18. ibique Lampad.

Othonis Saxonum ducis filium, eligerent; ut nihil certius, quam eandem Procerum Franciæ Germanicæ curiam, quæ Pipinum ejusque antecessores, ut supra dictum, elegerat, postea quoque extincta Pipini ac Caroli Familia Reges ac Imperatores eligere potuisse (x), quod ipsum Pontifices quoque & Canones pro certo exploratoque semper habuerunt (y). Unde & Fridericus I. respondit latè legatis Pontificis (z), Reip. disciplinam jam pridem ad Germanos cum imperio esse translataam &c.

Occasio,
cur Palatiū
Rheni di-
ctum.

Atque hoc regni concilium, Augustaue Franciæ Curia, cui postea Imperii accessit dignitas, uti antiqua observatione quotannis ad Cal. Majas, teste Hunibaldo [a], ita constitutione A. B. (b) circa idem fere tempus, quarta scilicet post festum paschale septimana celebratur: & uti olim fere ad Rhenum, ubi ipsi reges initio & Comites Palatii habitabant; ita & postea, ubi jam accessione Imperialis culminis aucta fuit ejus autoritas, certa annalium fide constat, (c) adhuc circa eadem Rheni confinia sæpius frequentata fuisse eadem Augustissima Procerum Imperii Comitiam. Si enim recte memini, observatum mihi est in decretis publicis Impp. Germanorum à Goldasto editis, quod fere omnia Spiræ, Francofurti, & imprimis Wormatiæ, aliisque Rheno finitimis locis edita sint. Unde est, quod hodieque omnium ore celebretur decantatissimum illud Palatium Rheni, seu ad Rhenum, ejusque Comites seu Præsides Augustissimi, Comites Palatii Rheni seu ad Rhenum; successores Francici illius Majoratus seu Comitatus Eminentissimi.

Neque tamen ideo Rheni mentio adjicitur, quasi alligatum

(x) Add. Gunter. lib. in Ligur. qui locus jam exhibitus est. (y) A venerabilem 34. x. de Elect. Clem. un. de Jurej. (z) Lampad. ad d. l. 3. c. 12. [a] Trith. de Orig. Franc. p. 93. [b] Tit. 12. §. Hinc est. [c] Vid. Freher. Orig. Pal.

gatum fuerit ad Rheni ripas Franciæ hoc Palatium; sed vel ideo, quia plerumque olim ad Rhenum fuit, cum in isto tractu, tanquam præcipuis Regni Francici limitibus, plus momenti situm, & ob habitationes tum ipsorum Regum, tum Comitum Palatii in vicinia Rheni commodissima sedes ad Universalem Regni curiam visa fuit: Vel ideo potius, quia comites Palatii fere patrimoniales suas ditiones, easque florentissimas, ad Rhenum & ex utraque Rheni ripa habuerunt, uti testis est Freherus (d), unde quoque in hoc tractus specialis Vicarius, sicut mox dicemus, ut in reliquis, non fuit.

Cum vero summum hoc Palatium, hæc Curia Imperii, Hujus Palatii Comitē uti alia quælibet suum semper Præsidentem habuerit, is ille fuit, tui Comitē quem Palatii illius Comitem, vel Prætorii Præfectum, aut Majorē domus veteres dixere, & cujus in Imperio Francico ejus Præsidentem fuisse, semper præcipua fuit autoritas. eoque nomine Imperii negotia

Olim, antequam Reges crearentur, Franci ducibus parebant, ut jam diximus, inter quos unus reliquis eminebat, & Dux Major vocabatur, qui proinde tum Præfectus Palatii, & Major domus fuit, atque ab his Ducibus Francorum Pipinos & Carolos Majores domus, ortos esse, eorumque omnium Gencalogiam inde à Duce Genebaldo, usque ad Pipinos Trithemius refert (e). Sed & ipsi Majores domus Francorum Duces fuerunt, & passim vocantur (f). Idem autem fuit Major domus, qui & Comes Palatii, & duo hæc dignitatum nomina Origō ejus. ab Munibaldo, vetustissimo historico, quem & Freherus eam ob causam allegat (g), promiscue usurpantur. Vocat enim Ansegisum *Majorem domus Francorum sive Palatinum Comitem* (h), & Pipinum *ex Comite Palatino seu majore domus Francorum Regem factum* (i): Adalgisum dicit *Comitem Palatinum* (k), quem

(d) In Orig. pass. (e) Lib. i. ann. p. 26. 34. 49. 67. 80. (f) P. Æmil. lib. 2. in princ. Ado A. C. 718. in fin. Trith. d. pag. 49. (g) in Orig. Pal.

(h) Trith. de Orig. Franc. p. 90. & 91. (i) Ibid. p. 90. (k) ibid.

quem alibi *Majorum domus* appellat: Idemque facit in Garacone (l.) Quin ad eam ascendit auctoritatem hæc dignitas, ut P. Æmilius exclamaverit (m), quod regium fastigium excessisse videatur. Unde & Irenicus Profapiam Palatinorum celebrans; *Tot, ait (n), ex illa progenie Boemia, Ungaria, Dania ac Romanorum Reges produisse, ut si opinione majorum niti oporteat, non sit Germania progenies, cui plus debeat nobilitas.* Et quid illo Franciæ annalium testimonio clarius: *Et opes, inquit (o), & potentia regni fuit penes Palatii Præfectos, qui Majores domus dicebantur; ad quos summa totius regni pertinebat.* Hinc Petrus de Andlo, primum Principem esse Comitem Palatinum Rheni ait (oo). Evidens igitur est, non Aulæ, sed regni summam ad Comites Palatii pertinuisse.

Quid mirum igitur, Carolum Martellum, Pipini patrem, tot prælia pugnasse, tot bella confecisse, composuisse pacem, icisse fœdera, vocasse auxilia, denique omnia ea gessisse, quibus expediendis nemo esse potuit, nisi qui solo nomine ac titulo à Rege differret vel ejus vices gereret? Quid mirum. Primicerium Statuum, Regis personam, ipsumque imperii vicaria seu comitiva auctoritate referentem, eadem fecisse, quæ Rex potuisset? Hæccinæ autem gravissima regni negotia à privata aulæ Præfecto expediri potuisse?

Primaria
dignitas.

Ecquis ergo ambiget, per quem absente vel defuncto Rege negotia imperii administrata fuerint, & cujus hac in re ante alios fuerit auctoritas? Non potuit alius Vicariatus dignitatem magis sibi vindicare, quam summi hujus Palatii Comes seu Præses. Cui enim potius competeret Vicaria Regis potestas, quam ei, qui secundum Regem proximus est? si quidem proximum summo est officium, quod summi Vicarium est. Quis vero in hoc regni Palatio Regi propior quam ipse

(l) Idem p. 92. Add. p. 49. 51. 53. 54. (m) Lib. 2. p. 68. c. (n) Lib. 3. Exeg. Germ. c. 50. (o) Apud Trith. de Orig. Franc. p. 93. (oo) Lib. 1. de Imp. Rom. c. 10. apud Freher. p. 1. c. 2.

ipse Palatii Comes, qui cæteris Palatinis regni in rebus inter eos explicandis jure Comitatus Palatii præfuit? Ergone is, qui præfente ipso Rege negotiis regno gerendis Præfectus fuit, absente vel mortuo, officio suo præfecturaque cedit? Et comitiva Palatii potestas, quæ cum regia quoque in Imperii negotiis concurrat, deficient, cum sola fuit? An ea rerum administratio, quæ vivo rege Comiti Palatii competiit, alicujus Palatinorum esse potuit, cui ante non competiit? Et cujus? Utique enim si quis, prætermisso Comite Palatii, Palatinorum alicui vicariatam vindicare voluerit, nemo erit in quæ consistere & vicariatam figere possit. Quæ enim ratio, quod Palatinorum alicujus vicaria potestas fuerit, Comitis Palatini non fuerit? Primus post Regem gradus est comitiva Palatii, hoc ergo præterito Palatinorum seu Procerum aliquem quærere, cui vicaria potestas tribuatur, non justus ordo est, sed præcipitum. Est hæc non legis constitutio sed naturæ ac rationis ordo, ut deficiente, qui primo loco est, vices ejus cedant proximo; ut cessante, qui præcesserat, succedat qui sequitur, donec justa ratio aut sanctio hanc rerum agendarum seriem mutaverit. Nulli itaque justius absente Rege rerum ac regni arbitrium commissum fuit, quam ipsi Imperii, ejusque supremi Palatii Præsidi seu Comiti, qui & præfente Rege Reip. clavum moderabatur.

Hic ergo Comitatus Palatii regni, illud officium est, cui Vicariatam æque ac potestas judicii in Regem cohæret; & hujus Officii hæc adhuc hodie vestigia in Aurea Bulla supersunt, quæ adeo inde nisi ipso Palatii Comitatu translato separari possunt.

Et quæ alias ratio esset, cur Vicariatam Franconici juris terminis describeretur? Quæ, inquam, alia, quam quod his terminis Comitatus Palatii Franciæ continetur? Jus enim Franconicum esse jus Salicum seu Palatinum ostendimus,

E

Causa, cur
Jus Vicariæ
intra Palati-
ni seu Fran-
conici juris
fines confi-
quod stat.

quod autoritate Curiaë seu Palatii Francici constitutum est; & cujus proinde Cura & Custodia ad Palatii Franconici Comitem pertinet. Hæc igitur potestas Comitis Curiaë seu Palatii Franconici intra Franconici Juris terminos consistit. Hæc causa est, cui Vicariatus Præsidis Salæ Francicæ extra Francici Juris fines extendi nequeat, uti eadem ratione Comes Palatii Saxonici, quod proprio Jure utitur, intra Saxonici Juris limites concluditur.

Negotia
gesta, quib.
ostenditur
Comitem
Palatii non
aulæ Regis,
sed Curiaë
Regni seu
Imperii
præfectum
atque adeo
Vicarium
jure fuisse.

Atque id res ipsa ac veterum Comitum Palatii seu Majorum domus res gestæ testantur. Ex quibus apparebit, tum hos Comites Palatii seu Majores domus regni negotia Vicaria potestate gessisse, tum fuisse Comitem Palatii non regii, sed Francici; Majorem domus non regis, sed regni; & denique præcipuum nonne ministris privatis Principis, sed publicis Imperii. Atque adeo hæc negotia Imperii præcipua & Regis Vicaria potestate gessisse prorsus evincemus.

Etenim percurramus veterum Majorum domus res gestas; examinemus officiorum, quæ gesserunt, naturam; subducamus functionum, quas administrarunt, rationes; ponderemus dignitates; numeremus prælia; cui hæc minus conveniunt, quam Magistro aulæ privatae regis? cui magis, quam Præsidi curiaë publicæ ac Procerum regni?

Si ipsum nomen *Majoris domus* spectemus, non quadrat illud Magistro aulæ regiae. Cum enim domus regia contineat omnem regis familiam, non recte aulæ Magister dicitur Major seu superior familia regia. At recte in domo Regni seu Procerum Imperii, cui præsidet, Major domus dicitur.

Si annales Francorum evolvamur circa Majores domus, seu Comites Palatii, eos semper fere communi Procerum consensu, non à solo Rege electos apparebit (p), Nihil autem absurdius, quam hoc intelligere de privato aulæ Magistro, Quid enim populo quid Proceribus cum privatis Regis sui

Mini-

(p) Vid. Adon Cron. A. C. 686. 696. 718. Trith. de Orig. Fr. p. 92. & pass.

Ministris? Regem vero non posse sibi corporis sui, propriæque aulæ Ministros ac Præfectos pro arbitrio eligere, quod quisque familiæ Dominus potest? Regi ac Proceribus expectandum Curatorem domus suæ, quem privatus quisque liberè constituit? Regi adimi liberam familiæ suæ dispositionem, quæ omnibus relinquatur? Quis adeo deteriore quovis privato conditione Principem fuisse asserit.

Eadem ratione de Pipino legimus, remotum eum à Majoratu domus, seu Comitatu Palatii in Francia Orientali, non à Rege, sed à Francis, seu Francorum Regni statibus, ab iisdem tamen mox inito, prælio restitutum (q). De Theobaldo, quod ipsi eum Franci Majorem domus constituerint, eundemque mox Magistratu rursus dejecerint (r). De Eberwino, quod Magnatum decreto à Majoratu, ad quem illi ipsi eum promoverant, pulsus, & in Monasterium detrusus sit (s). Quid vero vel cogitatu nefandius, quam populum Principis sui Ministros privatos, qui aulæ ipsius propriæ præfunt, creare pro lubitu, & dejicere? Quis adeo impuberem Principem dicere haut erubuerit, ut talibus ei opus sit tutoribus? Quis Regem putaverit esse oneri Imperii ferendo, qui ne suis quidem negotiis, & domesticis rebus superesse valeat?

Taceo, Majores domus non in aula, sed fatis inde remotos in propriis aulis habitasse, in remotissimis oris bella gessisse, nulla Regiæ domus cura habita. Pipinum, majorem domus, Agrippinæ in Ubiis egisse constat; ejusque Antecessores in ipsa Francia Orientali, cujus administrationem illi Ducali titulo prolixa serie gesserunt, & justo successionis ordine ad Pipinum, indeque ad Carolum M. majores domus, transmiserunt; dum interim Reges in antiquis suis sedibus hæserunt.

Et, qui Magistro, seu Præfecto aulæ Principis, cum pu-
E 2
blicis

(q) Trith. de Orig. Franc. p. 91. (r) Idem d p. 92. (s) Ado A. C. 696.
 Trith. L. 1. Annal. p. 56.

blicis Regni negotiis, cum Proceribus ac Statibus Imperii? Quis neget, aliam longe curam esse domus Regis, aliam Regni? Diversissimas esse privatas Palatii Principis, & publicas Regni functiones: Aliud, officia aulae ordinare; aliud pacem, bella, foedera, aliaque publica tractare? Hæc tamen publica fuerunt non privata illa, quæ majores domus, seu Comites Palatii suo jure, & sub hac ipsorum qualitate ac titulo gesserunt; eaque omnia ab his, tanquam primariis Regni Proceribus & Archi Principibus administrare fuere.

Est & hodie Imperatori Magnus aulae Magister, ei tamen nihil cum Imperio, nihil cum Statibus & Principibus negotii. Est idem quoque potentissimo Galliarum Regi, ille scilicet seculi Achilles, Princeps Condæus, non tamen hoc titulo administrationem Regni complectitur.

Nova sane Ministerii Aulici species, quæ propagatur in posteros; & insolens inauditumque, ni fallor, hætenus officii genus in aulis Regum Francorum, in quo filii parentibus hereditario jure succedunt! Cui unquam Regum, cui Cæsarum hoc in mentem venit, ut in aulis suis Ministri hereditario jure succederent, ut filios sibi surrogare, & ad posteros officium aulae transferre possent? Pipini senioris patrem Ansegisum Majorem domus fuisse legimus; (t) Ab eo ad Pipinum filium, ab hoc ad Carolum Martellum, Pipini filium, inde ad Caroli filios Carolomannum & Pipinum juniorem; & postea ad hujus filium Carolum M. Majoratum domus continua successione pervenisse (u). Sed & ipse Pipinus senior, vivus adhuc, modo hunc, modo alium ex liberis suis ipse sibi substituisse legitur (x). Quin imo Carolomannus & Pipinus Junior fratres liberrima dispositione omnes regni provincias vicaria seu comitiva autoritate administrandas, fere ut rem patrimonii, inter se diverferunt; posteaque Carolomannus, cum
civilis

(t) Trith. Lib. I. Ann. p. 49. (u) Ado. A. C. 726. Trith. d. I. & pass.

(x) Trith. d. I. r. p. 54. & 8.

civilem vitam cum monastica mutasset, omnes fratri provin-
cias libere iterum ceslit, reliquis principibus nihil retinenti-
bus (y). Adeo hæc dignitas in hæreditariæ jus vel consue-
tudinem transierat. Quis vero tale vel simile quid unquam
de officiis vel dignitatibus aularum privatarum vel fama au-
divit?

Equidem nonnullos audire mihi videor regerentes, Re-
gum incuria hæc omnia contigisse; horum desidia Majores
domus ad virtutem, horum ruina ad gloriam gradus sibi fe-
cisse. Verum enim vero haut cogitant illi, non solo Regum,
sed & Principum ac Procerum consensu autoritateque ad ta-
les res gerendas opus fuisse; cum ad eos, eorumve curiam su-
premam imperii cura pertinuerit, ut præter jam dicta osten-
dunt illa quæ canit Poeta in persona Frider. I. (z) Horum
ergo caput & Præses cum fuerit Major domus, curia hæc Pro-
cerum cum suo Præside, vel Præses eorum autoritate ac con-
sensu eam potestatem habuisse intelligitur. Fuerint igitur i-
gnari reges, fuerint rerum suarum negligentes; non sane Prin-
cipum ac Procerum confessus illustrissimus adeo segniter tu-
lisset, tanta cum autoritate ac potentia nimia tanti momenti
res ab aliquo Principum gestas fuisse, ac jura omnium invo-
lari, nisi is jure præcipuo præ reliquis emicuisset. Et, ut hoc
quoque nova ratione confirmet illud, quod probandum sum-
mus, (scil. Majores domus non aulis privatis regum, sed
Curiis Imperii præfuisse) eos Procerum autoritate subnixos
omnia egisse ostendit historia Pipini. Et paulo ante; Francos
Proceres mira consensione animorum Pipino adfuisse. Illa
igitur omnia Pipinus Procerum, quorum confesibus ac Co-
mitiis ipse præsidebat, autoritate gessit, cum apud eos sum-
ma esset regni cura, ut jam ostensum.

Etsi igitur non minus certa hæc res sit, quam vera, non
tamen rationum ultro occurrentium momenta defugiet o-
ratio

E 3

(y) Add. P. Æmil. lib. 2. p. 67. (z) Gunt. in Ligur. lib. 1.

ratio. Quid enim est, quod legimus (a), sub Theodorico rege, qui cum Majori domus Berthario in Neustria commoratus est, Pipinum Majoratum domus in Austrasia gessisse, ubi regis aula non erat; & ægrè id ferentibus rege & Berthario, Pipinum ab iis bello fuisse petitum? Qua ratione autem potuit aulæ regis magister Austrasiam tenuisse, cum aula regis fuerit in Neustria? Quo pacto fuit aulæ præfectus in Austrasia, in qua aula non fuit? Fuit ergo Pipinus præfectus, non aulæ regis, quæ in Austrasia non fuit, sed ipsius Austrasiæ. Porro cur bello petitus est Pipinus? Et victor quid acquisivit? An vero propter ministeria aulæ bella solent geri inter regem & ministrum? An unquam auditum, præfecturam aulæ privatæ armis regi potuisse extorqueri? An unquam cum principe prælio decertavit minister, ut ipsum aulæ suæ præficeret? Quænam nova & inaudita hæc acquirendi, ministerii alicujus aulici ratio?

Sed & illud legitur (b), Francos petiisse à Pipino, ut Berthario, Majori domo principatum bello eriperet. At quem Principatum? Num aulæ privatæ? Quid vero Francis Austrasiis cum aula regis in Neustria, ejusque Ministris? Quid illi solliciti, quem Bertharius principatum teneat? Et ergo non aulæ, sed Franciæ principatum ipsi ereptum volunt.

Quæ vero ratio clarior constitui potest, quam ex eo, quod legitur (c), sub ditione, non tantum regis Sigeberti, sed & Majoris domus Pipini constitutos fuisse Regulos, Duces, Comites & Præfectos, quorum administratione populus regebatur. Non erga aula regis fuit ditione Majoris domus, sed proceres, Reguli, Duces, Comites &c. Franciæ. Cui demum illud quoque accedit, quod sæpe *Majoris domus Francorum*, item *Principes aula Francorum*, non vero *Regis* dicantur (d).

Denique, ne in re certa diutius hæreamus, P. Æmilii testimonio-

(a) Trith. lib. I. ann. p. 57. Ado. A. C. 696. in fin. (b) Trith. d. pag. 57.
(c) Idem p. 53. (d) Idem p. 49. 60. 62. & pass.

stimonium (e), adhuc in medium proferemus, qui Majorem domus *Magistrum militiae* fuisse dicit, & à se *Magistrum Equitum* vocari, eo quod Equitatu Francorum nobilitas gloria ac opes consistent. Quibus proinde qui praest, non aulae regis tantum, sed universae Franciae Princeps videri debet.

Quis ergo jam suspensus adhuc animi haerere potest? Cui scrupulus sedere? Praesidebant itaque Comites Palatii, seu Majores domus, non privatae regis aulae; verum publicis regni Comitibus, procerum Statuumve Imperii Palatiis ac Curiiis praesidebant; & hoc nomine omnia regni negotia potestate comitativa seu regiae vicaria administrabant. Ipsorum ergo apud Francos prima fuit ac praecipua post regem ejusque Vicaria dignitas, utpote quae praefectura reliquas imperii omnes complexa est.

Atque hanc causam egregie probat alterum Comitatus Confirmatio Palatii officium praecipuum, eminentissimaque prerogativa, tur id exem quae ex eodem fonte, quo Vicariatus ducitur: potestas scilicet caetera-
judicandi Regis. Eadem enim ratione, cum nemo Regis vel rum digni-
Imperatoris causas audire ac dijudicare possit, nisi summa ip- tatum, quas
sius Imperii Curia, cui, praesidet solus Augustissimus Comes eadem cau-
Palatii, hic solus, jure Comitatus seu Praesidatus sui, Regis sa Palatii
vel Imperatoris est Judex. Comitatus
conjunxit

Hoc proditur in historia depositionis Adolphi Imperato- Ubi sunt:
ris, quae de Rudolpho Electore & Comite Palatino ita loqui- I.
tur: *Quippe Rudolphus, Praefectus Praetorio, cujus munus est ve- Potestas
luti de querimoniis adversus Caesarem delatis cognoscere jusque judicandi
dicere, & sententiam pronuntiare, venire recusarat.* Item in de- regis.
positione Alberti I. dicitur: *Quod Rudolphum praedictum Co-
mitem Palatinum elegerint pro Judice, asserentes ad Comitatus
Palatinum pertinere, quod sit officium Palatinae dignitatis ex qua-
dam consuetudine, de causis, cognoscere, quae ipsi Regi moveren-
tur.* Atque hinc in constitutione Lotharii III. inter praesen-
tes

(e) Lib. 1. in hist. Chilp. p. 36.

tes scribitur, *Gutfridus Palatinus Romani Imperii Judex*. Hæc igitur officia non ex jure electionis, quod insuper aliis commune est, sed ex proprio Jure comitatus Palatii descendunt.

Cur Seren.
Electoꝝ Sa-
xonix in
Vicariatu
concurrat,
non in offi-
cio Judicis.

His enim explicatis, quis adeo rerum ignarus ac imprudens, ut exinde summarum Imperii dignitatum origines & rationes colligere quam facillime nequeat? Quis non videat, quæ ratio solum Francici Palatii Comitem Imperatori seu Regi Judicem constituerit; quæ vero è contra ratio Saxonem Vicarium ipsi adjunxerit; & in Vicariatus potestate Saxones, & Saxonici Palatii Præsides, à reliquo Imperii corpore separaverit, cum tamen in judicando Rege seorsim jus aut facultatem Saxo non habeat? Vicariatus enim Comitatus Palatii Francici terminos Juris Francici non excedit, cum ultra terminos potestatis suæ Curix jus dicere nequeat. An jure autem Francico seu Salico immunem fuisse Saxoniam, eique jure proprio uti permissum jam antea diximus. Igitur ab hoc universali Imperii Vicariatu excepta est provincia Saxonica, in qua ipse Provincialis Palatii Saxonici Præses Serenissimus scil. Princeps ipsius Elector, Vicariatum Imperii gerit. Cum enim à Carolo demum Magno, adeoque sub Imperio, Saxones Francix jugum subire coacti fuerint, non tam regno Francix, quam Imperio subjecti, & pars potius Imperii quam regni Francici visi sunt, legitur diverso nonnihil à reliquis jure censere eos placuit, relictis proprio jure, Saxonico scilicet utendi licentia: unde adhuc Jus Saxonico Franconico quod est Jus Palatinum vel Salicum, in citato A. B. loco opponitur. Accedit, quod Saxones, non minus quam Franci, libertatis tenacissimi, tot annorum laboribus maximis, toties ancipiti Marte, tam varia fortuna, adeo crepro successu, cruentissimis præliis, difficillimis victoriis vix dum domiti, difficulter plane ad alieni Juris observationem adigi, & ad Franconici seu Salici Juris communionem cogi posse videbantur.

Hinc

Hinc igitur factum, ut Franci, eorum subjectione contenti, permiserint, ut Procerum Saxoniae Palatium provinciale proprio jure uteretur; & sensim quoque, maxime ubi, deficiente Carolidum stirpe, ad ipsos Saxones Imperii summa, rerumve arbitrium pervenit, indultum illius Palatii Praesidi, Electori scil. ut in suis terris, ac provinciis juris Saxonici, ipse Comitavam seu Vicariam administrationem Imperii exercere posset.

Hic itaque Vicarius plane non eodem est ordine cum Vicario generali Imperii, neque cum hoc in eodem dignitatis genere concurrat; cum Saxonici Palatii Comes non sit Vicarius generalis, sed suae duntaxat provinciae, quae ante Carolum M. Franciae conjuncta non fuit. Tunc ergo solus Francici Palatii Comes Vicariatum regni obtinuit, neque in illo jure ipsi unquam alius adjunctus fuit: Verum, ubi postea accessit Saxonia, illa proprium suum Vicarium provincialem nacta est, in quo nihil priori decesit, sed tantum cautum, ne ad novam istam provinciam Vicariatus ipsius extenderetur.

Hinc est, quod Saxonici Palatii Comes in officio judicis, & jure audiendi causas Imperatoris plane non concurrat cum Comite Palatino, nec ad ipsum ea dignitas judicandi ulla ratione spectare possit; qui non regni, sed provincialem tantum habet Praefecturam & Vicariatum, cujus vigore nullum universale negotium Imperii expedire potest: Imperatorem enim judicare non est res certae alicujus provincialis Curiae, ejusve Praesidis, sed Curiae Imperii; Imperium autem Francico Palatio inhæret, utpote Palatio universali regni; non Saxonico, quod provinciale tantum est: nam & ipse Saxo membrum est Palatii Francici, quod postea factum est imperii, & generali praefectura Comitis Palatii continetur. Est enim, quod saepe diximus, Palatium, cui augustus hic Comes praest

præ est, summa Curia Procerum ac Principum Imperii, inter quos haut dubie quoque est Saxoniae Elector.

2.
Præcipua
regni admi-
nistratio,
quæ penes
Comitem
Palatii olim
fuit.

Sed & reliqua, quæ Comitatum Palatii sequuntur, officia similitudine causæ ac communi ratione Vicariatum ab eodem fonte duci, probant: sufficientem perpendisse. Comitem Palatii, seu Majorem domus Francorum fuisse Principum præcipuum; reliquorum Palatinorum omnium Præsidentem; præesse eum summis regni Comitibus; præsidere universalibus Procerum Palatis seu Conciliis; ipsius Imperii in Curiam collecti esse præfectum ac moderatorem augustissimum, Quis vero jam nescit, quæ tantæ dignitatis sint munia, quæ jura Præfecti Imperii, ac Præsidentis Procerum Franciæ, qui imperium repræsentant? Facilius est, dicere quæ non habeat jura, quam recensere quæ habeat. Dicam breviter. Omnia potest, quæ ipsum imperium, cui præest, potest. Quæcunque negotia ad summam Palatinorum seu Procerum Curiam, illa omnia ad eum quoque spectare possunt, qui Curiam illam Comitativa autoritate moderatur ac dirigit. Quicquid enim expeditur negotiorum, eo saltem præsidente expeditur: & quicquid supremum regni Palatium statuere potest, id sub Augusti Comitibus sui præsidatu atque auspiciis statuit. Nullum est autem negotium publicum, quod non ad ipsum imperium, ejusve supremam Curiam (in cujus manibus regnum esse cecinit supra (f) Guntherus) adeoque & curiæ illius Comitem seu Præsidentem spectare possit: nullum quod non Præfecturæ hujus generalis amplitudo contineat.

Nec moveat, quod varii tunc fuerint Comites Palatii, longo nimis dignitatis intervallo ab eo; quem hic exhibemus, distantes. Præter hoc enim regni se Imperii Palatium generale, singulæ quoque provinciæ, imo urbes, sua habuere Palatia seu Curias, in quibus Conventus partiales & provinciales celebrati, & quarum singulæ suum quoque præfectum: seu Comitem Palatii habuerunt. Cujus rei exempla comi-

(f) in Ligur. lib. I.

nus

nus, & fere primo ab urbe nostra lapide sufficiunt. Loboduni enim, vulgo Ladeburgi, Curiam, ubi conventus pagi sub Comitibus agebantur, fuisse, atque adhuc locum ibi esse, *Salam, Saal* / quod Germanis Palatium est, dictum; idemque in aliis locis vicinis accidere publice notum est, & Freherus uberius exponit. (g). Cæterum unum tantum fuit Palatium generale totius regni, in quod ipsi Status, Proceres ac Principes Imperii collecti, de publicis & communibus Imperii negotiis constituerunt; & cujus Comes seu Præfectus toti Imperio, hac summa Curia repræsentato, præfuit: estque idem hoc Palatium Franciæ Germanicæ, quod postea Imperii factum, & SS. Imperialis dignitatis fastigio auctum fuit.

Hujus ergo Comitatus generalis vigore eidem Palatii Comiti jus eligendi Imperatoris competit. Quid enim minus Palatinorum Comiti negari potest, quam Electio, quæ omnibus olim Palatinis communis fuit? Qui electioni etiam præfuit, eamque moderatus est, imprimis sane electionis jus habuit: nec summæ Curia Præsidi negari potuit, quod infimi quoque ordinis Proceres habuere,

Eodem jure Comes Palatii summam militiæ præfecturam, seu Magisterium Equitum, sibi vindicavit, ac proinde semper à P. Æmilio Magister Equitum dicitur. Rationem ipse addit Æmilius (h) quia scil. Equitatu Nobilitas, gloria ac vires Francorum constabant. Summa ergo hæc dignitas summum quoque Imperii Comitem sequuta est; eadem fere ratione, ut in Anglia præfectura generalis classis ac maris ad ipsos Regum filios vel fratres plerumque spectat; quia scil. Anglorum potentia classe continetur. Ita hodie unicus regis frater, Dux Eburocensis, hac dignitate fruitur, diciturque, *Lordobigh Admirall of England*, id est, *Magnus Admirallus & Præfectus Generalis Classis & Marium Angliæ &c.* Ita, ob eandem rationem, summus militiæ præfectus apud Francos di-

F 2

ctus

(g) de Orig. Pal. p. 1. cap. 2. & p. 2. cap. 1. (h) Lib. 1. in Hist. Chilper. p. 36.

3.
Jus eligendi.

4.
Summa militiæ præfectura



ctus fuit Magister Equitum, Francia enim Equitatu, ut Anglia classe, maxime pollebat.

Summa of-
ficia aulae
&c. Denique eadem ratione summus hic regni Francici Comitatus summa quoque in aulis regum privatis dignitate, Archidapiferatu scilicet, conspicuus fuisse videtur. Et hinc forte aulae Magistri à nonnullis vocari consueverunt: Aula enim plerumque habitationem regis denotat, unde aula Caesarea dicitur (i).

Et ergo hinc patet, jure merito sane horum Comitum fuisse, quicquid fuit summum in Imperio: cum enim summam post regem totius imperii praefecturam metuerint, eam summa quoque Imperii munia merito consecuta sunt. Unde hac quoque ratione ducti Pipinus, Carolus, & aliquot sequentes, dignitatem hanc aut filiis suis commisisse, aut ipsi quoque sibi reservasse videntur; uti veteres Rom. Imp. Consulatum & Tribunitiam potestatem sibi postulabant, ut Consulati autoritate, Senatus; Tribunitia potestate, plebis summum Magistratum adepti; & hoc jure utriusque consiliorum participes facti, quicquid in eorum praedudicium tentaretur, facili negotio eludere possent.

Hæc igitur omnia jure Comitatus supremi Palatii gesserunt, qui dignitas est, & officium generale, quod per totum Imperium Salici Juris extenditur. Ab hoc autem Comitatu seu Palatinatu differunt eorum Principatus seu ditiones privatae, quæ sunt res ipsorum patrimoniales. Ita Pipinus Dux Brabantiae & Comes Namurci fuisse scribitur, & nihilominus Major domus totius Franciæ.

Sic hodie Comites Palatini ad Rhenum dicuntur, utpote qui ab utraque Rheni ripa florentissimas ditiones jure patrimoniali tenuerunt ut passim testatur Freherus [k], indeq; maxima pars tractus illius eorum ditioni subjecta fuit, uti citatus autor ex divisione inter Othonem IV. & fratrem Henricum

(i) Inst. Pac. art. 3. & in fine privil. Cæs. ei annexi. (k) l. I. Orig. c. 3. & pass

cum Palatinum initia ostendit: eoque facit, quod in Suevia, Bavaria & Franconia peculiare fuerint Vicarii seu Palatini, qui omnes Rhenano fuere subjecti? in Rhenano autem tractu alius inferior ac peculiaris Palatinus non fuit; quia ipse Comes Palatinus patrimoniali quoque jure eum tractum tenebat. Quantum quoque discrimen inter speciales hoc Vicarios, qui passim per Germaniam ac Italiam constituti olim sunt, & inter Universalem imperii intercesserit, & quam eminens hujus prærogativa fuerit, ex superiore oratione tam perspicuum est, quam quod maxime (l).

Sed ne abuti videar patientia auditorii, cum confundendæ adhuc sint quædam adversantium opiniones, & strictim illam, quæ restat, dictionis partem, cum ad finem properet oratio, persequar. Et quidem initio non discedo in sententiâ Freheri, qui putat Comites Palatinos primitus ex aula in provincias esse missos, ut olim Magistratus Romanorum, & à Francis *Missos* esse dictos. Quod erroneum esse facile constat: quia illi Comites non provincialem tantum habuere jurisdictionem, ut Magistratus Romani, sed universalem totius regni, utpote cum summis ac generalibus regni Curiis præsesent, & per omnes regni provincias Vicariam seu Comitivam potestatem extenderent. Certum enim est, sub singulis regibus singulos tantum fuisse Palatii generalis Comites, uni totius Reipubl. gerendæ Spartam fuisse injunctam, nec nisi uno defuncto seu deposito alium electum. Unde Carolomannus non hanc aut illam, sed universas regni provincias, cum pro indiviso ad utrumque pertinerent omnes, ultro inter se dividerunt (m). Aliud autem longe est, quod allegat Freherus, temporibus Lotharii, Sigeberti & aliorum Regum, alium Majorem domus fuisse in Neustria, alium in Austrasia, &c. Tunc enim diviso inter plures regno, diversa fuere sub diversis re-

Confutatio.
Notatur
Freherus.

F 3

gibus

(l) De Vicariis illis singularibus vid. Arum. Discurs. 3. ad A. B. th. 26. & 27. (m) Ado ad A. C. 727. P. Emil. lib. 2. p. 67. Trith. l. 1. annal. p. 62.

ORATIO INAUGURALIS

38

gibus regna, diversi Status ac Proceres, adeoque & peculiaris singulis regnis Statuum ac Procerum Præses, aut Palatii Comes. Quin imo Pipinus rejecto Eberwino solus duorum regnorum Majoratum gesit; quo vel uno satis refellitur hæc sententia: imprimis, cum non ex aula missos, sed à Proceribus simul constitutos, ac parentibus successisse, Pipinorum saltem exemplo pateat. Missi vero dicebantur non ipsi hi Comites, sed qui ab ipsis delegati essent.

nihil com-
mune esse
Vicariæ
potestati,
cum nudo
jure eli-
gendi, late
ostenditur,
iterumque
eam jus
Comitatus
Palatii esse
defenditur.

Verum & alia retundenda occurrunt tela, aliaque opinionum portenta subigenda. Sunt enim inter scriptores, qui contendunt, Electorali dignitate à Comite Palatii Imperii translata, contineri sub ea Vicariam & judicariam auctoritatem, tanquam jus aliquod accessorium & consecutarium dignitatis Electoralis. Sed aut hæc sententia falsa sit necesse est, aut Auræ Bullæ invalida atque inutilis. Hæc enim omnia Jura Principum & Electorum secularium non dignitatem Electoralem, sed Principatum ipsum sequi, ei inherere, & cum eo inseparabiliter conjuncta atque unita esse, constituit. (n)

Et quis non miretur hujus absurditatem sententiæ? Ergone primaria Vicariatus auctoritas sequetur jus eligendi regem, quod infimi quoque subsellii Proceribus, & scil. omnibus promiscue competiit? An summa regni post regem præfectura cedit juri electionis, cui illa præfuit? Qui præfuit eligentibus, cedit eligentium juri? Ipse sc. summus regni Vicarius ad electionis, imo Imperii clavum sedens, tum electionis votorumque, tum negotiorum Imperialium omnia suffragia moderatus est, & prima hæc regni dignitas concedet, juri unius suffragii ferendi, quod olim, ut diximus, Procerum quoque minimus habuit?

Anne vero omnimoda administratio negotiorum imperii complectitur jus eligendi regem? Anne & hoc est negotium regni, & pars administrationis Imperii? Et quomodo ergo jus

(n) Tit. 20.

go jus hoc particulare electionis continebit administrationem universalem; unicum jus electionis omnia administrandi jura; pars administrationis totam? Hæc sc. ratio rerum naturam invertet, & parte totum complexa hoc illam sequi contendet.

Dicendum ergo quod res est; omnia administrare non potest, nec proinde Vicarius generalis esse, qui tantum eligere potest: Jus eligendi cum omnibus eo pertinentibus partiale tantum officium est, Vicariatus universale: illud pars administrationis, hæc tota administratio.

Quid ergo magis ridiculum, quam totam administrationem Vicariam esse partem electionis, cum hæc sit pars administrationis? Quid insulsius, quam generale jus Vicarii contineri jure particulari Electoris?

Et, si absque livore mentis ac judicii rem trutinemus, quid quæso ei, in quem solum jus eligendi seu sola Electoria dignitas est translata, quid, inquam, ei cum jure belli ac pacis, quid cum potestate fœdera ferendi, feuda conferendi, tuendi redditus, aliaque omnia agendi, quæ ad Vicariam administrationem pertinebant? Hæcne jure electionis continentur? Et si hoc volumus, quin totidem sunt Vicarii, quod Electores?

Jus eligendi, ubi restrictum fuit ad certas personas seu Principatus, incepit esse peculiaris dignitas, cum antea esset commune omnibus. Et ergo, uti reliquis Principibus, ita Comiti quoque Palatino seu Vicario, eadem peculiaris Electoria dignitas accessit? proindeque cum hac dignitas sit accessoria, & Vicariatus prior ac principalior, qua ratione principalis cedit accessoriæ? Fuere jam jura illa Vicariatus injuncta & innexa Majoratus seu Comitatus Caroli Marcelli, Pipini, aliorumque, cum singularis illa dignitas Electoria nondum esset. Qui igitur jam cedent illa jura huic dignitati, sine qua olim fuerunt, & qua multo sunt antiquiora atque digniora? Tollatur

tur

tur sola dignitas Electoralis, quæ postea accessit, manebit Vicariatus, qui ante fuit. Transferatur id solum, quod novum est, Jus sc. Electorium, obtinebit antiqua saltem dignitas. Fuit Comes Palatinus, fuit Vicarius, cum nondum esset Elector, quin ergo maneret, etsi Elector esse desineret?

In tanta rerum luce quid opus adhuc allegare aperta constit. Carolinæ in A. B. verba (o): Quod provilio seu Vicariatus Imperii competat *privilegio Principatus & Comitatus Palatini*, adeoque non ratione Electoralis dignitatis, quæ olim ne quidem in rerum natura, nedum in illo Principatu extitit, & proinde aliquid ab eo planè diversum est. Et scil. exactè convenit hæc constitutio cum alia ejusdem A. B. (p) qua constituitur, ut Jura Principum iis competant *privilegio Principatum ipsorum*.

Quin clariora quoque sunt verba Ruperti Imp. in formula Vicariatus, quam dedit filio Ludovico Barbato, Comiti Palatino (q). Ait enim Imperator, se filium suum constituere Vicarium, non tantum, quod ab Antecessoribus Regibus & Impp. id eousque ita fuerit observatum; sed & *quod fuerit & sit de jure Comitatus Palatinus Rheni*.

Ipsaque Ludovicus Bavarus Imperator, in constitutione edita in Comitibus Francof. anno 1339. testatur, longa & approbata consuetudine inconcussa à majorum ordinatione hæcenus observata, vacante Imperio, jus administrandi Imperii jura, feuda conferendi, & negotia cætera disponendi, Palatino Rheni deberi (r).

Et sane ita est. Ipsum Comitatum Palatii tollat necesse est, qui Vicariatum adimit, cum revera non nisi nominis sono differant. Nam & apud Romanos solebant Comites non tantum à Principe, sed & à summis provinciarum Magistratibus

(o) d. tit. 5. (p) d. tit. 20. (q) Apud Freher. lib. 1. cap. 16. & Goldast. tom. 1. Const. ad A. C. 1401. (r) Gold. tom. 3. Const. ad A. C. 1339.

bus assumi & adoptari in communionem Magistratus, vice eorum gerendi, ut ex *Modestino* & *Cto.* (s) & ex *Cicerone* (t) colligitur; unde generale eorum nomen factum est, ut *Comites* dicerentur omnes illi, qui vel ab ipso Principe, vel ab alio Magistratu superiore allegebantur in partem administrationis, tanquam vicem ejus Principis vel Magistratus gerentes (u). Et sicut à Magistratibus allecti fuere inferiori & satis tenui dignitate, uti *Ducum* & *Proconsulum Legati* seu *Comites*, & apud *Francos* *Centenarii Bentgrassen* / à certo districtu pagorum, qui olim *Francis Bent* vocabatur, dicti, & alii; ita à Principe quidam constituti eminentissimæ fuere dignitatis, & primi ordinis *Comites*, qui inter altissimas dignitates ab *Impp.* (x) habentur, & cum *Ducibus* ac *Proconsulibus*, qui summam post Principem, *Ulpiano* teste (y) potestatem habebant, companantur: adeo ut à tribus *Augustis* attornito dignitatis splendore vigere, & acclamatione solenni excipiendi dicantur (z). Ita *Comes* totius *Orientis* fuit, qui quid aliud erat, quam *Imperatoris* in *Oriente* *Vicarius*, quem *Princeps* quasi in comitatum administrationis *Imperii* adsumebat, ut *Orienti* præesset. Apud *Francos* quoque uni *Comiti*, *regis Theodoberti* filio, commissam *Alsatiam*, *Alemaniam* *cis-rhenanam*, & quicquid juris fuit *Francorum* inter *Burgundos*, *Rhenum* & *Longobardos*, ipsosque adeo *Helveticos* legitur (a). Et satis id allegata sæpius exempla *Martelli*, *Carolomanni*, *Pipini* ostendunt, qui tanta cum autoritate tot negotia, & tam gravia gesserunt quæ non nisi regia aut regis vicaria seu comitiva autoritate geri possunt. Cum enim ad eos summam regni pertinuisse supra ostensum, aut jure regis ad illos pertinuit, aut *Vicario* seu *Administratorio*. Quin
imo

(s) L. 10. §. 5. ff. de Excus. tut. (t) L. ad Q. Fratrem. ep. 3. (u) Tob. Pautm. l. 2. de Jurisd. c. 10 n. 1. & seq. Knich. de subl. terr. jur. c. 4. n. 51. seq. (x) L. 1. C. de Com. & Archiat. l. 1. l. 2. C. de Com. rei mil. (y) l. 8. ff. de Off. P. l. 4. ff. de Off. Præs. (z) L. un. C. de Quæst. (a) Tr. de Or. Fr. p. 89.

imo genuino Latinitatis usu, proprioque significato Comes Latinis inter alia Vicarium notat. Nam Comites à comitando dici jam olim ipse Ulpianus ex Labeone (b) asseruit, quæ qui Regi assistentes, ipsique à latere, seu [uti text. A. B. habet] ad manus, veluti Comites ejus, pro eo regni negotia; tanquam Vicarii ipsius administrant; idque ostendunt Impp. (c) quando præfectos suos hoc nomine vocant; *Quos lateris nostri Comitatus illustrat*: Hoc idem ostendit politissimus Latinitatis autor Tullius, qui ad Q. fratrem ita scribit (d). *Atque inter hos, eos, quos tibi Comites & Adjuutores publicorum negotiorum ipsa dedit resp.* Qui sanè nulli alii fuere, quam Magistratum Vicarii, qui cum eis, & à latere eorum, tanquam vicem ipsorum gerentes cuncta expediebant, sed & Papin. (e) Præsides Provinciarum Legatos Cæsaris vocat, & horum Legatos & Adseffores comites, quos constat fuisse Præsidium Vicarios, quia, ut idem Papin. (f) exerte inter alios ait, non sua, sed mandantium, scil. Præsidium Jurisdictione utuntur, unde etiam ab iis non ad Præsidem, sed immediate ad Principem appellatur, quia Præsidium personam Jurisdictione referunt. Et nulla alia fuit ratio seu causa, quare Magistratus ab initio & postea Comites dicti sint, quam quia Principem in administratione Reip. adjuvabant & comitabantur, ejusque vices vel in universo imperio, ut apud Francos comites Palatii regni; vel in parte ejus gubernanda, ut reliqui partiales Comites, gerebant. Et hoc notabiliter videtur indigitari in alleg. constit. A. B. (g) quando dicitur, quod Illustres Comes Palatinus sit provisor Imperii *ad manus futuri regis: ad manus* proprietate verborum idem est, quod *à latere*, seu, ut *Comes futuri regis*: & ideo illa verba reddita sunt in Germanico textu: *An statt eines Röm. Königes*; quia scil. *an statt eines Königs*

(b) L. 15. §. 16 ff. de Injur. (c) In l. un. C. de Præp. labor. (d) d. epist. 7. (e) l. 4. ff. de Off. Ass. (f) l. 1. ff. de Off. ej. cui mand. (g) Tit. 1.

nigsi vel *vice regis esse*, nihil aliud est, quam *ipse esse ad manus seu Comitum*; & *Vicarius* nihil aliud est, quam *Comes*.

Iniquissime igitur affligitur principium *art. 4. Transact.* Respondetur ad *art. 4. Osabr. & Mon.* cujus certa & evidens est sententia. Transfertur ibi dignitas Electoralis cum omnibus Juribus, quæ ad I. P. & ex dignitatem illam spectant; Quænam autem sint illa Jura Electoralia patet ex *constit. A. B. scil. Conductus, Præcedentia præ reliquis Principibus, Principatum individua successio, tutela, specialis privilegiorum confirmatio, aliaque jura & regalia dignitati illi annexa in d. constit. A. B.* quæ sane nihil commune habent, cum generalibus juribus Vicariatus regni. Quid enim Vicariatus antiquissimæ & primariæ dignitati cum novellis his Electoratus Juribus? Igitur ex ipso eo loco convincitur opinionis falsitas. Si enim sola ad Electoratum spectantia jura translata sunt, non sane transibunt reliqua jura, quæ à Jure & adjunctis electionis sunt diversissima, uti plane sunt illa Vicariatus Jura, Feudorum collatio, reddituum collectio &c. supra memorata, quibus quid, quæso, commune est cum electione. Pertinent illa Jura ad Comitatum Palatii regni, ad Præsidatum Imperii, ad Majoratum Curia generalis, eique mox vindicantur in *cod. art. 4.* Quando Palatinatus inferior restitui jubetur cum suis juribus & Privilegiis, uti ante motus Bohemicos fuit, quando inter præcipua fuisse Vicariam & Judicariam potestatem constat.

Etsi ergo locus Aureæ Bullæ tit. 5. ante citatus ejusve versio Germanica exerte contrarium assereret, non tamen contra rationes adeo evidentes, contra omnem antiquitatis fidem, & certissima Jurispublici principia quicquam is efficere posset. Possunt enim mores formare, & præcepta justæ & æqui sancire leges, non autem rerum substantiam evertere, seriem annalium turbare, aut infringere autoritatem rationis.

Sed & male Germanicæ versionis autoritas in dubium vocatur: Faveant sane adversarii loco, cum hic faveat nobis;

maneat suus textui vigor, cum is sententiæ nostræ vigorem conciliet.

Voce Chur
Fürstenthum semper ipsum Principatū (seu Territorium) intelligi, nunquam solam dignitatem Electoralem.

Latinus textus asserit comperere Vicariatum *ratione Principatus & Palatinatus privilegio*, quod Germanicus reddit, (ut ipsa verba proferam) von des Chur-Fürstenthums und Pfalz-Grasschafft Freiheit wegen. Ubi vox Chur Fürstenthum significat ipsum Principatum seu Territorium, cuius vigore omnia jura Principibus secularibus competunt (h), ut etiam Latina versione vox illa redditur; non vero dignitatem Electoralem. Contra autem alii vocem illam Chur-Fürstenthum explicant esse dignitatem Electoralem, ac proinde Vicariatum de quo ibi agitur, competere ratione illius dignitatis Electoralis: & cum hæc transferatur per Transact. Osnabr. (i) volunt etiam Vicariatum simul transferri. Verum ut taceam, conjungi cit. loc. A. B. Chur-Fürstenthum und Pfalzgrasschafft / ac proinde non magis ratione Electoralis quam Palatinæ dignitatis Vicariatum tribui; falsum omnino est, quod in d. loc. A. B. Vicariatus tribuatur ratione Electoralis dignitatis. Aliud enim longe est das Chur-Fürstenthum / Principatus Electoralis; aliud dignitas, die Chur-Würde oder Chur-Dignität / uti dicitur in d. Transact. Osnabr. (k) ubi expresse sola dignitas die Chur-Dignität / cum suis juribus transfertur, non autem Principatus das Chur-Fürstenthum / cui vigore A. B. inhærent Vicariatus (l), & omnia reliqua Jura (m). Quod autem vox hæc Chur-Fürstenthum & propria vi verbi, & perpetuo usu, cum Aureæ Bullæ, tum Constitutionum Imperii, significet ipsum Principatum & Territorium, (cui honoris gratia, & ad differentiam aliorum Principatumum, præfigitur vox Chur / uti vox Erzb / Archi-Episcopatuī, quo tamen & ipso Territorium indigitatur) certum est: Ecquis enim unquam nudum officium Electoris vocavit ein Chur-Fürstenthum? Ipsum Principatum, das

(h) Aur. Bull. tit. 20. (i) Art. 4. (k) d. art. 4. (l) d. tit. 5. (m) d. tit. 20.

Fürstenthum vox ea ubique denotat; & neque Latino vox *Electoralis*, neque Germanico vocula *Chur*/ semper additur. Ita Aurea Bulla non modo *in tit. 5.* nomen *Chur-Fürstenthum* Latine reddidit Principatum, sed & alias Electorum Territoria, die *Chur-Fürstenthümer* semper vocat Principatus, uti ex variis ejus locis agnoscitur (n); Uti præter d. tit. 5. A. B. ubi vox illa ita redditur Latine, id apparet ex d. tit. 20. ubi Electorum territoria, quibus inhaerent omnia jura ac dignitates, dicuntur Principatus. Imprimis vero rem facient evidentissimam Constitutiones Imperii: Ita enim vocem *Chur-Fürstenthum*/ pro ipso Principatu sumi, constat ex R. I. 1641 §. Und zu desto schleuniger Vollziehung. 64. quo jubetur, ut quivis Elector, Principes, vel Status mandata publicet in seinem *Chur-Fürstenthum*/ Land- und Botmäßigkeit: ubi liquet, vocem *Chur-Fürstenthum* nihil aliud significare quam ipsum principatum; ut patet tum ex adjectis synonymis *Land-Botmäßigkeit*/ quæ ipsum Territorium denotant: tum ex eo, quod re ipsa mandatorum publicatio fit in ipsis Territoriis & Principatibus: ridiculum enim esse dicere, quod mandata publicentur in dignitate. Ita in §. 63. dict. Rec. dicitur querelas fuisse motas, wegen der Vergleichung des Erz-Stiftes und *Chur-Fürstenthums* Trier: non autem de dignitate Electorali, sed ipso Principatu in partes discerpto, & luxato agebatur; dignitas enim illa dividi non poterat, discerpi vero nequidem dici poterat.

Quinimo, quod magis est, *in O. C. p. 2. t. 15.* voces illæ *Fürstenthum* & *Chur-Fürstenthum* promiscue, & pro iisdem Electorum territoriis sumuntur. Jubetur enim ne milites, militia dimissi, *Herrnlose Knechte*/ in Principum territoriis tolerantur; his verbis: *Wo sie sich in der Chur Fürsten/ Fürsten und Stände Fürstenthum/ Land oder Gebieten lägern oder garben wollen/ so soll der Churfürst/ Fürst*

G 3

(n) d. tit. 20. tit. 24. vers. Si cæteros. Vers. decernimus, & vers. ult. &c.

Fürst oder Stand / in deß Chur- Fürstenthum / Land
 oder Gebiet sie sich versamen / &c. En; idem Electorum Prin-
 cipatus seu Territorium, quod initio dicebatur Fürstenthum /
 mox dicitur, Chur- Fürstenthum cum appendicula hono-
 ris; sed & paulo post iterum Fürstenthum / & iterum in eo-
 dem casu in R. I. 1555. §. 34. Chur- Fürstenthum: ut nihil cla-
 rius, quam eosdem Electorum Principatus modo Fürstens-
 thum / modo Chur- Fürstenthum dici, & hanc vocem æque
 ac illam nihil aliud significare, quam ipsum Territorium seu
 Principatum, cui Electoria aliæque dignitates inhærent. Sic
 quoque in O. C. p. i. t. 49. jubetur securitas nunciis Camera-
 libus in den Chur- Fürstenthumen / Fürstenthumen / id est,
 in Territoriis & Principatibus, in quibus invenirentur Nun-
 tii: ut proinde nemo tam insulsus sit, ut putet hic per voces
 Chur- Fürstenthum / &c. intelligi dignitatem. An enim in
 ipsa dignitate commorantur aut inveniuntur Nuncii? Idem
 contingit in aliis locis innumeris, adeo ut unicus saltem R. I.
 1555. (o) scateat exemplis, quibus Electorum Principum ter-
 ritoria modo dicuntur Fürstenthumer / seu Principatus; mo-
 do Chur- Fürstenthumer cum appendice dignitatis, quæ
 Principatui illi inhæret, adeo ut in §. Daß auch die 44 vox
 Fürstenthumen in posteriore membro idem valeat quod an-
 tea Chur- Fürstenthumen & Fürstenthumen / ac utriusque sit
 communis. Idem evenit in voce Erb- Bisthum / ipsa ter-
 ritoria denotante (p). Sed & Archi- Episcopatus Bremensis
 dicitur tantum Episcopatus (q) cum paulo ante dictus fuerit
 Erb- Bisthum.

Paret ergo das Chur- Fürstenthum esse ipsum Princi-
 patum, & voces Chur / Erb pro lubitu addi vel omitti sole-
 re, & proinde in d. t. §. recte dici, Vicariatum competere ra-
 tione

(o) §. 24. 44. 49. 50. & 54. &c. (p) ut in d. R. I. 1555. §. 18. R. I. 1641.
 §. 63. Inst. Pac. art. 3. §. Cum autem certa, & art. 5. §. Bona Ecclesi-
 astica & seq. pass. art. 10. 14. & 15. (q) Inst. Pac. d. art. 10.

tione Principatus, & in German. *des Chur-Fürstenthums wegen*: ita enim dicitur convenienter ei, quod sancitur in A. B. (qq) sc. ut officia, dignitates aliaque Jura Principibus secularibus competant virtute Principatum ipsorum, iisque & eorum possessoribus annexa sint atque inseparabiliter conjuncta: idque merito, cum Possessores hæreditario jure in iis successerint. Quod cum ita sit, ex hoc ipso loco clarissime evincitur, Vicariatum & reliqua jura ratione Principatus Palatini, & ejus Possessoribus hæreditariis competere; non ratione Electoralis dignitatis, quæ & ipsa, ut reliqua jura, tantum est accessio ipsius principatus, eaque sola ablata, principatus tamen ipse cum reliquis juribus annexis manet. Etsi autem, ut obiter hoc addam, Comites olim Palatii plura & alia, eaque florentissima territoria possederint, recte tamen hodiernus Principatus Palatinus iis successisse dicitur: notissimi enim juris est, fines novos cedere Principatui, uti tempore acquisitionis est, adeo ut si successive & per partes adeo mutati sint fines, ut plane novum sit territorium, tamen successionis jure idem est, quia semper termini, tanquam partes, accessiones vice cesserunt ipsi principatui, tanquam toti, uti tempore mutationis fuit, idque certatim inculcant Jcti. Ulpianus, (r) Paulus, (s) & præclare idem demonstrat Alphenus, (t) aliique. Et ita hic principatus, temporum successionem per partes mutatus, ad id territorium, quo hodie Palatinatus ad Rhenum continetur, pervenit, eique inhæret Comitativa Palatii ad Rhenum; quæ utpote summæ Curia præfectura reliquas dignitates summas, in Rep. bello, & aula, sc. Magisterium equitum, Archidapiferatum, ipsamq; Electoralem, ambitu suo complectitur, & una aut altera inde translata, reliquæ affixæ annexæq; permanent.

Hinc vero jam perspicuum, & si quicquam, evidens est,
cur

(qq) Tit. 20. (r) L. 10. Quib. mod. us. am. (s) l. 48. in fin. ff. de solut. (t) l. 76. ff. de Indic.

ORATIO INAUGURALIS

56

Responde-
tur ad du-
plex exem-
plum trans-
lati Vicaria-
tus, cum su-
periore se-
culo in Sa-
xonia, tum
initio belli
tricennalis
in Palati-
nato, & ex
utroque
contrarium
evidenter
infertur.

cur in Saxonia temporibus Johannis Friderici Electoris, cur circa initia belli Germanici Vicariatus quoque Imperii in no- vos Electores cesserit, in eosque à prioribus possessoribus translatus fuerit? Quoniam scilicet utrobique non Electoralis dignitas sed Electoratus ipse, non officium Electionis, sed ipsum territorium, cui omnia ista jura, ipseque adeo Palatii Comitatus infederant, translatus fuit, ut taceam in neutris tabulis solam Electoratus; sed in alteris specialem Comitatus Palatii Saxonici, in alteris expressam quoque Vicariatus mentionem translationemque comprehensam fuisse. Quod utique certissimo argumento est, noluisse Imperatorum ac Imperii ordines pace Westphalica concessum una cum Electorali dignitate Vicariatum, cujus nulla in stabulis facta est mentio. Creditisne enim Aud. Imperatorem ac Ordines, qui Vicariatum tum quoque nominatim recensendum putarunt, cum ipse Electoratus, cum Comitatus Palatii ipse transfereretur, silentio transmissuros eum fuisse, cum solum Electionis officium concedebatur, si una eum translatum voluissent. Creditisne, eos, qui Vicariatus specialem mentionem fieri necessarium duxerunt, cum vix dubium esset eum etiam non nominatum, contineri, neglecturos id fuisse, cum fere constaret eum non contineri? Ipse igitur Palatii Comitatus transferri debuit, ut Vicariatus transfiret. Nec sufficit, aliquem titulo Comitis Palatini ex communi familia uti. Nomen illud publicum officii Imperialis est, non privatum familiae. Officium igitur Vicariatus Imperii sub officio Comitis Palatini, non sub privata familia continetur, & Vicarius est, non qui tamen Comitis Palatii, sed qui Comitatum, non qui titulum, sed qui territorium habet, cui Praefectura illa Praetorii ad Rhenum cohæret.

An Rhenum itaque hoc territorium est, cum quo tot seculorum continuatione re ac nomine coaluit, eique insitus fuit Comitatus Palatii Imperii, qui Vicariatum complectitur.

Et cui

Et cui alias terræ conveniret? illam enim terram, quæ Palatinatus Superioris nomine vulgo venit, ex Bavariæ regionibus esse, indeque Palatinatui Rhenensi accessisse, novitiumque plane id nomen palatinatus ei esse notorium est. Quin ipsi Ruperti Palatini, aliaque palatinatus documenta nunquam Palatinatum dicunt, sed ab eo diruunt, & terram suam in Bavaria vocant. Præterea nunc ea, quæ ex Archivo recentiore allegari possunt, cum antiquitatis rationem scrutari, non causam Vicariatus nunc agere receperim. Atque adeo ne jam laboro num quisquam Palatinorum Comitum confessus fuerit, Vicariatum Electionis officio adhærere, cum erronea confessio ne confitenti quidem, agnato autem aliique nec nocere queat. Sed nec antea quæstio in Imperio unquam de jure solius qualitatis electivæ, sed de jure ipsius Electoralis territorii mota, nec disceptatum fuit; An Vicariatus soli Electionis, an Comitatus Palatini officio, (quippe hæc quæstionis species ne in facto quidem ante pacis Westphalicæ consultationes contigit,) sed cui territorio cohæreret? Non potest ergo confessio, & si aliqua intervenisset, ad quæstionem, quæ non fuit, nec tum agitabatur, applicari.

Maneat ergo, ut eodem filio, quo cæpit, desinat oratio, maneat, inquam, fixum immotumque, legem Salicam esse legem Palatinam Francorum, seu jus Franconicum, quo Procerum seu Palatinorum, ac populi Franciæ libertas stabilita est; & Augustissimum Comitem Palatii ad Rhenum, non tantum potestate huius officii ac antiqua consuetudine, sed ipsa quoque A. B. constitutione, huius juris, eoque jure constitutæ libertatis custodem & provisorem, totiusque imperii, qua jus Franconicum extenditur, Vicarium Eminentissimum.

Hic itaque pedem figo, ut in tanta dignitatum luce gratulabunda potius exultet oratio, quam id deducat prolixius. Quod si huius gloriæ vel ipsis mundi fastigiis invidendum

dum fastigium voce attingere licet, dicam sane quod res est,
 & verbis dicam tantum ab assentatione remotis, quantum à
 necessitate. Nunquam tanti fastigii splendorem illustrius e-
 micuisse, quam cum dignitatum hic fulgor cum admirandæ
 Tuæ sapientiæ & magnanimitatis radiis S. P. unitus atque
 conjunctus, omnium perstrictos oculos, conversosque in Te
 animos, in Tui admirationem rapuit, & universi orbis me-
 moriam celebritate nominis personuit. Quid igitur restat,
 quam omnium, quos præsens confessus multo amplissimus
 complectitur, vultu ostendere, omnium ore eloquii, omni-
 um animis præfiscini vovere. Vivat, vigeat, floreat, inclyta
 Resp. Palatina, ejusque *Principes Serenissimi*, vere Archi-
 Palatini, vere Archi Principes, Deo honori,
 salutis Ecclesiæ, Reip. Academia.

F I N I S.



est,
mā
se-
dæ
que
Te
ne-
at,
us
i-
ta




Q 114 1028

1017

115





mo
ver

tuto
gnia
cion
gere

la a
fine
con
fam
go,
quo
qua
stra
con
tate
pon
quo
rem

dit,

